



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pati est Hominis Inevitabile Fatum

Neissen, Johann Adolph

Coloniæ Agrippinæ, 1721

Pars Tertia. Ratio evincit Cruces esse patienter ferendas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49134](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49134)

PARSTERTIA

Ratio evincit Cruces

esse patienter ferendas.

Mortalibus indeclinabilem adversitatum procellam legimus ex Divorum placitis: spectavimus etiam effusa Patientium variorum agmina, posteritati ad exemplum instructa. Jam nos, Lector mi benevole, exspectamur successuri in scenam; partesque oblatas in conspectu Orbis universi propalam acturi. Ut igitur in quovis fortuitæ sortis inauspicato casu, ad crucem suaviter amplexandam, pacatiùs sanctiùsque moveamur; subsequentiū conclusio- num delectu, fragiles animos aliquantulum præmunire & excitare, nec incassum, ut sperare juvat, allaborabimus. E trinâ potissimum scaturigine desumemus argumenta: imprimis, ab ipsiusmet Dei, adversitatum onus in quemque accommodatum inclinantis, reverenda autoritate. Deinde à nunquam sat æstimando, ex ipsis calami-

mitatum tempeſtatibus emergente, ſalutari proventu. denique, à fluxa earundem viciffitudine celerique tranſitu & præmii ex eis conſequendi perepinitate incomparabili. Quæ enim abſque crimine Majeſtatis læſæ repudiari, aut declinari non poſſunt; ſubeuntur verò cum infallibili ſalutis præparatæ indicio, gratiæ gloriæque incremento, nec durant ſpatio niſi temporis exiguo; quo felicitatem poſt ſe trahunt æviternam, quomodo non mente ſaltem pacatâ, ſi non avidâ, excipientur? diſcendopati, dediciſimus miſeriam: amando Crucem, plus eâ, quàm ſuis ullus voluptatibus, delectamur: ſic in ſuis roſa ſpinis exultat; ſic inter tribulos Acanthis modolatur: Apis ex amar Thymo novit mel conficere. Etiam amara condiri poſſunt, non modo ut profint, ſed etiam ut ſapiant, ut appetantur, nec magnum eſt myſterium gravia non graviter ferre, ſi futurum eſt malum; malè nunc ante tempus affiget: ſi præteritum; malo liberati ſumus. ſi præſens; cogita mox fuit præteritum: ita cogitatione noſtrâ creſcit, vel minuitur dolor, quicquid recipitur, per modum recipientis, recipitur.

ARGU.

ARGUMENTUM PRIMUM

Deus ad veritatem Sator
RATIOCINATIONIS
Propositio.

SI Supremum verendum Numen,
Deus ter Maximus, Cœlorum ter-
rarumque Imperator Augustissimus;
fortunæ conversiones, commutatio-
nesque tempestatum; quibus huma-
næ mentis nubilat aër, temporibus
immittit: tunc sanè tantus sortium
moderator, & eventuum quorumcun-
que indulgens Author, summâ obser-
vantiam colendus; & ab ejus exoscu-
landâ manu, casus omnes, seu pla-
cidi, seu turbidi, demissione subje-
ctissimâ erunt acceptandi. Neque
aliter agere, ulli unquam mortalium
faserit.

Ratio

Ratio Propositionis.

Creator.

Quoniam Deus universorum Dominus absolutissimus, jure sibi un-
dequaque competente, Dominium al-
tum privativè, solus sine consorte,
exercet in omnes: videlicet; quà Crea-
tor in creaturas, quà Dominus in ser-
vos, quà Judex in reos, quà Pater in Fi-
lios. Ubi te, quisquis mortalium ades,
à prima tui origine nihilum, convene-
ro, nunquid reverberis Deum Crea-
torem tuum? cui nefas sit & impium,
vel in minimo contrahiscere: ne forsan
irritatâ virtute ejus conservatrice, mi-
ser relabaris; unde ejus gratiâ extractus
consistis, in nihili tui Barathrum. Deu-
teron. 8. *Peribitis, si inobedientes fue-
ritis, voci Domini Dei vestri.* Potest
pro libitu figulus fingere vas vel in ho-
norem, vel in contumeliam, nec quic-
quam juris habet cacabus, ut erigatur
tripus: nec urna, ut reddatur incrusta-
ta. Audi verbum Domini, quod fa-
ctum est ad Jeremiam: cap. 18. Surge
& descende in domum figuli; & ibi au-
dies

dies verba mea: & descendit in Domum
figuli, & ecce ipse faciebat opus super
rotam, & dissipatum est vas, quod fa-
ciebat è luto manibus suis: conversus-
que fecit illud vas alterum; sicut placu-
erat in oculis ejus, ut faceret. Et factum
est verbum Domini, dicens: *nunquid
sicut figulus iste, non potero vobis face-
re? ecce sicut lutum in manu figuli; sic
vos in manu meâ.* Esdræ lib. 4. cap. 16.
urgetur quæstio: qui finxit hominem
& posuit cor in medio corporis, & mi-
sit ei Spiritum, vitam, & intellectum,
& Spiramen Dei omnipotentis, qui fe-
cit omnia; hic novit ad inventionem
vestram: propter quod Dominus tra-
ducet vos omnes: quid facietis? Domi-
nus fortis immittit mala; & quis est, qui
repellat ea? nunquid aliquis repellat
Sagittam, à Sagittario forti missam? est
itaque creaturæ, ordinata à Deo tan-
quam Creatore rata habere omnia: ne-
que potest, neque debet, ullâ unquam
in re eidem refractari. Ob oculos sibi
positum teneat illud Augustini; *Domine,
qui tibi ob creationis beneficium
non servit, infernum ille meretur: sed
qui*

qui tibi ob beneficium redemptionis,
non servit; novo illi inferno opus
est.

Dominus.

Ecce hic simul tangitur alius Domini
nii novi titulus, Redemptio nostra.
Dominatur nempe redemptionis quoque
jure omnibus nobis Dominus, quos
Filius sui effuso sanguine ac morte,
caro admodum emit ac redemit Sa-
tanæ divenditos servos. Isaïæ cap.
50. *Ecce in iniquitatibus vestris ven-
diti estis*, Et S. Augustinus in exposi-
tione Epistolæ ad Romanos; unus-
quisque peccando animam suam diabolo
vendit; accepto tanquam pretio, dulce-
dine temporalis voluptatis primâ Pe-
tri cap. 1. redemptionis monemur: In
timore incolatus vestri tempore con-
versamini, scientes quod non corrup-
tibilibus auro vel argento redempti-
tis; sed pretioso sanguine quasi agni im-
maculati Christi. Foret sanè hic emptionis
titulus, possessionum divina-
rum inæstimabilis accessio, & vel
solus nos Deo mancipatos, oppressos-
que servitute teneret; nisi jam dudum
ex assè omnes Domini fuisset: qui
ipse.

ipsemet jus suum & potestatem in
mortales omnes absolutam promulgat,
Deuter. 32. Videte, quod ego sim so-
lus, & non sit alius *Deus* præter me :
ego occidam, & ego vivere faciam: per-
cutiam & ego sanabo: & non est, qui
possit de manu mea eruere: levabo ad
cælum manum meam, & dicam: vivo
ego in æternum. Et *Aggeæ cap. 2.* me-
um est argentum, & meum est aurum
dicit *Dominus exercituum.* In corpus
& animam; in vitam & mortem, in a-
bundantiam & egestatem, in faculta-
tes nostras omnes absoluto potitur *Do-*
minio. *Job. 11.* Excelsior cælo est,
profundior inferno, longior terrâ men-
sura ejus, & latior mari: si subverterit
omnia, vel in unum coarctaverit; quis
contradicet ei? vel quis dicere ei potest,
cur ita facis? *Date,* infert *Moyse*
Deuter. 32. *Magnificentiam Deo nos-*
tro. & *cap. 10.* *Dominum Deum tuum*
timebis, jurabisque in nomine ipsius:
ipse est laus tua, & *Deus tuus,* qui fecit
tibi magnalia. *Expectat proindè Deus,*
ut sibi absoluto innumeris nominibus
Domino, tanquam servi in omnibus,
sub-

subelamur cum tremore. Malachiæ cap. 1. *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* quia Rex magnus ego, & nomen meum horribile: ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum. Esdræ lib. 4. cap. 16. *Exiit ignis ex iracundiâ ejus; & quis est, qui extinguat eum? coruscabit, & quis non timebit? tonabit; & quis non pavebit? Dominus comminabitur; & quis non funditus conteretur à facie ejus?* Deuteronomii 5. Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem & magnitudinem suam: si ultra vocem Domini Dei nostri audierimus, moriemur: quid est enim omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, & possit vivere? Quando itaque fulguris instar & tonitruum, tribulationum ignis, à tanto Domino emissus, nos adurit, solâ patientia humili æstum lenire; cetera cum timore ac pavore sustinere jubemur: recolendo capitulum sextum Deuteronomii: *Dominum Deum tuum timebis; quoniam Deus æmulator Dominus, ne irascatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de superficie terræ.*

Præter hæc superioritatis jura, com- *Judex.*
 petit Deo Judici actio Prætorica, & in
 personam, & in factum hominis: in
 personam: ut Adami nepotem, origi-
 nali læsæ Majestatis crimine implex-
 um: in factum, ob contractas in-
 super actuales quoditæ noxas. Judex
 Deus, mitis æquè ac justus; dum ca-
 pitali mortis pœnâ damnationeque
 æternâ nos plectere valeret; sed in tem-
 poraneam solummodò animadversio-
 nem clementer assurgit, nonnè omni
 obsequiorum genere excollendus ejus-
 que benigno favore gratanter gauden-
 dum foret? & si refractarius quispiam,
 irrogatam remissè mulctam denegare,
 seque turbulenter omni pœnè subtra-
 here attentaret, nunquid metuendum,
 ne sibi accerseret immania, quæ pro-
 meritus fuerat, supplicia sempiterna?
 Ecce Judex Deus, timete eum: Esdræ
 Lib. 4. v. 16.

Nunc & amanda nobis, & honoran- *Pater.*
 da restat Patria in Deo potestas:
 extrâ quam nec annus vigesimus quin-
 tus, neque centesimus, nullæ Nuptiæ
 T nulla

nulla status professio titulus nullus, nec
 unquam collo caverit. Hic silent leges:
 nullo jure emancipatio isthæc acqui-
 ripotest : dum sumus, dum erimus
 continuò sub patriâ Dei potestate
 subjecti versabimur filii: Deuteronomii
 32. *Nunquid non ipse est Pater tuus,*
qui possedit te, & fecit, & creavit te?
 Malachix cap. 1. urget ipse Dominus.
Filius honorat Patrem ; si ergo ego
Pater sum, ubi est honor meus. Si, quod
 est Patris, filium, quem amo, castigo,
 ipse verò impatiens respuat discipli-
 nam, ubi est honor meus? si clementer
 corripio, quem recipio filium, ipse
 verò impudenter recalcitret ; ubi est
 honor meus? sententia in ejusmodi im-
 morigeros lata legitur. Deuteronomii
 capite 21. Filium contumacem & pro-
 tertivum, qui non audit Patris imperi-
 um, & coërcitus obedire contemp-
 serit ; apprehendent eum & ducent ad
 portam judicii dicentes : *filius iste*
protervus & contumax est, monita au-
dire contemnit, lapidibus obruet
eum populus, & morietur ; & uni-
 ver-

versus Israël audiens, pertimescat. Et Deuteronomii 27. *Maledictus qui non honorat Patrem suum.* Astringit itaque Propositionis sequela mortales omnes, ut si quid à Deo immissum sibi esse intelligant; ne contrâ nitantur, sed illud veneratione Sacrosanctâ, velut creaturæ à Creatore; servi à Domino, rei à Judice, filii à Patre, obsequenti-
tissimè acceptent.

Assumptio.

JAm verò quidquid calamitatum per Jorbem terrarum spergitur, id totum ab authore Deo rerum omnium Satore, jactatum disseminari, Deus ipsemet profitetur; astruunt eloquia sacra; universa naturæ opera, divinum exigentia concursum, id ipsum, longe lateque inclamant.

Probatio Assumptionis.

PLacuit Altissimo, ne quis de hac ve-
ritate ambiguus hæreret, disertis *Ab ipsius-
met Dei*
planè verbis dubitationem omnem *effatis.*

removere, Isaïæ cap. 45. v. 6. *Ego Dominus, & non est alter: formans lucem & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum: faciens omnia hæc.*

Ita Dominus est, qui intert aut prosperitatem, hic luce designatam: aut adversitatem tenebris indicatam: nec alter est, qui jam concedit pacem; jam concitat bellum: qui afflictiones ordinat, qui mala commovet: quibus dum premitur orbis, exploratum facit mortalibus, omnia omninò & prospera & adversa pendere abs se uno Deo, soloque Domino. Aggæi capite i. Enucleatius hæc ipsa confirmantur. Judæi à Captivitate Babylonicâ reduces, templum Domini Hierosolymitanum restaurare inceperant, at Principum, vicinorum satraparum, & Persarum Regis inhibitiõ stiterat opus quindecim annis. Interea Judæi privatis suis commodis, quàm promovendo cultui divino, inhiantes avidius; occupabantur tantummodò excolendis agris, erigendis exornandisque domiciliis propriis, abutentes prætextu, quod oporteat expectare tempora,

per.

perficiendæ domus Dei magis opportuna. Eapropter Deus per Prophetam redarguit illos, quod tanto tempore reliquerint sacram sibi domum desertam, sub fucata specie, non esse de tempore; cum interim omne ipsis tempus opportunum fuerit visum, ad extruenda usibus domesticis superba ad luxum usque palatia. Loco citato, versu 2do hæc ait Dominus: populus iste dicit nondum venit tempus domûs Domini ædificandæ; nunquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laqueatis. Et domus mea deserta? Ponite corda vestra super vias vestras; considerate, quæ interim, dum cessatis ab instauranda domo mea, vobis obvenierint. Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, at non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: qui mercedes congregavit, misit eas in saccum pertusum: respexistis ad amplius, & ecce factum est minus; & intulistis in domum, & exsufflavi illud. Attribuerat populus hæc sua damna

T 3

for-

fortuito casui, & eventibus purè naturalibus: sed corrigit errorem Deus; po-
nite, repetit corda vestra super vias ve-
stras: perpendite, quomodo negligentes
mei, ambulaveritis in viis vestris, non
casu & forte fortuitò hæc acciderunt
ego: sum, ego qui retinui pluvias
cœli, qui sterilitatem terræ induxi;
Quam ob causam? (infert ipse Domi-
nus:) quia Domus mea deserta est, &
vos festinastis unusquisque in domum
suam propter hoc super vos prohibiti
sunt cœli, ne darent rorem: &
terra prohibita est, ne daret germen su-
um: & vocavi siccitatem super terram,
& super montes & super triticum, & su-
per vinum, & super oleum, & quæcun-
que profert humus: & super homi-
nes, & super jumenta, & super om-
nem laborem manuum. Et timuit
populus à facie Domini. Neque
noctu feriari se indicat Dominus *Isaie*
cap. 50. *De manu mea factum est hoc*
vobis, ut in doloribus dormiatis.

*Ab elo-
quiis
scripturæ*

Deuteronomii cap. 28. Gravissima
quæque transgressoribus legis denun-
tiantur, à nullo alio, quam authore
Deo

Deo intendenda. Nisi custodieris & feceris omnia verba legis, & timueris nomen eius gloriosum & terribile, hoc est, Dominum Deum tuum, augebit Dominus plagas tuas, & plagas feminis tui, plagas magnas & perseverantes, infirmitates pessimas & perpetuas: & convertet in te omnes afflictiones, quas timuisti, & adhærebunt tibi, donec te conterat. Nunquid merito interrogat Amos cap. 3. v. 6. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Tale nullum est; omnia facit Dominus. Sed inquis, cruciatus mihi cor lancinant; cruditates stomachum arrodunt, caput æstuat; cetera membra languent, somnum excludit dolor: hanc verò totam ægritudinem ipsemet ego mihi, meâ unius culpâ & intemperantiâ vitæ accersivi. graviora patior in facultatibus meis detrimenta, aut meâ incuriâ & prodigalitate evenerunt diversas alias sustineo adversitates, verum omnibus ansam præbui, quomodo nunc hæc Deo attribuam quæ evenire meâ unius culpâ probè teneo? sunt

T 4

equi-

equitem, sunt hæc etiam tribuenda Deo, qui te his ipsis malis affligere ab æterno decrevit. Cum capitis cordisque doloribus confictari te voluit; & hujus conflictus causam permisit exillere intemperantiã tuam quam æquẽ ab æterno præviderat. Voluit res tuas acculas, domestico utitur medio, tuã incuriã & prodigalitate. Voluit pluribus aliis te tangere adversitatibus, ansam illam quam te præbuisse fateris, aptam arripit. Quod itaque Domino fieri placuit ab æterno; hoc tua ipsiusmet cooperatione opportunẽ factum est in tempore. Animum proindẽ ad patientiam obedientiamque compone; cladium ac calamitatum quarumcunque fator & author Deus est. Lucanus in gentilitatis tenebris cæcutiens, hoc tamen in Jove suo etiam ligneo vidit, dum diceret, Lib. 9. Jupiter est quocunque vides, quocunque moveris. Ecclesiastes paucis rem totam complectitur cap. ii. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas, à Deo sunt.

Quan.

Quantum nunc ad naturæ causarum-
que secundarum operationes & effe-
ctus attinet; quibus tangi ab ipsis solis,
lædique videmur; vitam & motus hu-
mani corporis considerandum propo-
no. An attribues manui, quod elevata
percutiat? an pedi, quod exprorectus
trudat? an linguæ, quod lasciva convi-
cia jactet? errabis: principium vitæ &
motus inquire, animam conveni: abs-
que hac, nulla in corpore vita; nullus
in membris motus: nec manus lædit,
nec pes premit; nec lingua maledicit,
prima & una horum omnium radix &
causa est anima: animam tolle, & ma-
nus, & pes, & lingua, immota rige-
bunt. Idem velim sentias de operationibus
creaturarum; quæ videlicet opera nul-
la exercere, nullas functiones exequi
possunt; nisi Deus operetur cum illis;
viresque ad agendum suppeditet; eâ
principalis virtutis efficaciam, ut effectus
omnes, non tam causis secundis, saltem
necessariis, quàm primæ universali,
adscribendi censeantur. Mundum illu-
minat sol, obnubilant tenebræ; calefa-
cit ignis, refrigerat aqua, alit terra; re-

*A subor-
dinatione
causarum
secunda-
rum.*

T 5

fooil.

focillat æther: hos tamen omnes effectus non creaturis illis, quibus ex se impotentibus, velut instrumentis, concessa est talis tantisper agendi facultas; sed incomprehensibili cuncta gubernantis Dei providentiæ, attribuendos esse satis cognoscimus. Sic quemcunque malitiosum hominem, à quo pateris, non aliter respicias, quam rude instrumentum, cujus ineptâ cruditate, in tuam salutem maturè utitur Deus. Semei, effrons ille de trivio scurra, ac trifurcifer, Davidem Regem à Filio, perduelli Absolone fugientem, laceßere maledictis, saxi impetere, terram contrà eum spargere, non verebatur. Præsto erat Abisai, fidelis Regi, & ajebat: quare maledicis hic mortuus Domino meo Regi? vadam & amputabo caput ejus. Sed David agnoscens Semei, velut instrumentum Dei, ait: dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut maledicat David: & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? dimittite eum, ut maledicat juxtà præceptum Domini; si fortè respiciat Dominus afflictionem

onem

onem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodiernâ.

Osee cap. 6. Captivitatis suæ durti-
ritiem Judæi, non Regum, per quos
tracti in servitutem fuerant, crudeli-
tati, sed divinæ se plectenti justi-
tiæ, totam adscribebant: oppessores-
que suos, non aliter ac assumpta à
Domino instrumenta, rectè intuebantur.
Undè non de mitigandâ illorum
sævitiâ, sed de placandâ Dei offensâ
soliciti inquiebant; venite & reverta-
mur ad Dominum: *quia ipse cepit
& sanabit nos: percutiet, & cura-
bit nos.* ipse est, qui in hostium po-
testatem nos tradidit victos: Ipse
captivos duxit; nostris utens inimicis,
tanquam suis apparitoribus, ad cru-
ciandum nos aptissimis instrumen-
tis. Hic verò existimandum non est,
protervos illos Semei impetus; & cru-
delem Regum in Judæos tyrannidem,
approbasse Deum, cujus naturæ & æqui-
tati peccator & peccatum infestè repu-
gnant: verum hic suo momento ponde-
randum est assertum Clementis Alexan-
drini; esse unū ex maximis & mirabilib⁹
Dei

Dei operibus, quod hominis conditionem in suâ libertate inviolatam cupiat. Quandoquidem homo creatus liber, relictus est in manu sui consilii: providentia verò divina, res à se creatas absque detrimento conservari postulat, hinc cuilibet causarum, sive libera illa sit, sive necessaria, secundum naturæ exigentiam, fideliter assistit. Proinde homo quantumcunque depravata voluntatis, ut arbitrium suum liberum, cum quo creatus est, immune possideat; ad omnes omninò actus, licet iniquissimos, præparato Dei concursu impedite potietur: adeoque Deus etsi minime intendat malum, nec probeat peccatum, ut Author tamen naturæ, non potest non concurrere & permissivè se habere ad omnia; satagit interim ex malo bonum eruere; & flagitium perverforum, velut instrumentum convertere in exercitium bonorum. Neque sanè peccatum ullum perpetrari pateretur Deus, nec peccatorem toleraret; nisi majoris boni causa & origo exinde oriretur. Subsistit itaque inconcussa assumptionis probatio & veritas, quod

quod nempe calamitatum omnium seminator & author sit ipse Deus: Hoc enim propria ipsiusmet primæ & æternæ veritatis oracula, hoc scripturarum sacræ eloquia; hoc naturæ, causarumque secundarum conditio & ordo, cumulatè contestantur.

Complexio.

Quid nunc ex his conficiendum? Callabitur sponte suâ ex ritè præmissis, irresolubilis conclusio: cum Deus adversitatum sit Author, qui est Creator adorandus, magnus metuendusque Dominus, Judex severus & æquus, Pater longè amantissimus & honorandus; ergo quidquid calamitatum occurrerit, amplectendum est submissè, velut à Creatore, cum timore velut à Domino, jure meritissimo, velut à Patre, creaturas, servos, reos, Filios, omnes suos clementer & amanter in frugem erudiente. Hac ratione, Deo Creatori accepta nosmetipsos libamina dedicabimus: Deo soli Domino debitum fidelitatis homagium reddemus: Deo justo judici
piacu-

piaculare faciemus sacrum: Deo æterno Patri honorem & observantiam filialem, dignè exhibebimus. Evolvamus nonnihil collectas hæc consecutiones explicatiùs.

Expositio Complexionis

*Sacrifici-
um Crea-
tori.*

MUNDUS totus in eo consentit; esse sacrificium religionis actum, non modò excellentissimum; sed etiam ad eò necessarium & essentialem; ut absque illo, nulla Numinis perfecta consistat adoratio, nec cultus sublimetur, quippè per hoc agnoscimus authoritatem supremam omnipotentis Dei Creatoris; in cuius præsentia dum destruitur victima; contestamur Deum creaturarum omnium, vitæ mortisque Dominum, nos è nihilo, extraxisse; & posse, si luberet, in nihilum redigere. Mandatum dabatur homini, aliam in sacrificio, sui loco hostiam substituere, nec permissum ei erat seipsum immolare: ad quod, si unquam Deus imperaret, cum Abrahamo, jam tum gladium ad mactandum Filium stringente,

te, promptus esse deberet. Facit autem
id ipsum excellenti quodam modo in
afflictionibus patiens homo ; dum iis
seipsum , vivâ in Deum fide paca-
tam submittit victimam: neque enim a-
lienus animantis cuiusdam cruor in
illis profunditur , sed propria Popæ
caro, valetudo, honor, gloria, fortu-
na, voluntas, affectus, verba, homo
ipse totus dedicandus offertur per am-
plâ Creatoris gloriâ. Hoc namque sta-
tu, quo sensus omnes rebellant, fervet
substrati patientis, in Deum fides: ma-
nui, quæ castigat , suavium datur :
judicia Dei , ut ut videri possent rigi-
da, adorantur : comprimatur naturæ
vox garrula , quæ erumpere vellet in
murmura : conticescere jubetur ra-
tio , quæ causas lamenti ac quiritas
tentat ; cogiturque Deo, quem
non nisi in fidei obscuritate videt ,
præjudicia sua in holocaustum subster-
nere. Adeoque contenta acquiescit
creatura, dum se sub potenti manu Dei
humiliatam cernit , ac propemo-
dum exinanitam reperit : Qualis
submissa sui ipsius immolatio , glo-
riosior

riofior est Creatori & excellentior
quàm cuncta olim sacrificia cruenta.
Immolet David post debellatos Israeli-
tarum hostes, centum victimas: faciat
resonare templum gratiarum Hymnis,
non miror: facile ei erat comparere ad
altaris pedem, gloriâ circumdatum:
facile erat, dexteram illam Altissimi,
quæ ipsum laureâ decoraverat, exocu-
lari: sed, quod idem ille David afflictus;
à perduelli Filio coniectus in fugam; à
suis derelictus, contra violentiam Ab-
salonis Asylum inquirens; in tam iniquâ
fortunâ, submiserit sese pacatâ mente
dispositioni cœlesti; quod justum Do-
minum, & recta ejusdem judicia procla-
mârit; quod dolor ab eo non expresse-
rit nisi hunc gloriosum Deo consensum
2. Reg. cap. 15. faciat, quod bonum est
coram se; hoc denique suspiciendum &
imitandum manet. David sic nobis-
cum ratiocinabatur: est Deus possessor
throni mei: est Dominus vitæ meæ: Ju-
dex est, ego peccavi: disponat de me,
ut volet: non consulat inclinationes
meas; non emolumenta, non gloriam
meam: faciat, quod visum fuerit, in
totum

totum consentio : ad animi mei sisten-
 dos motus , nuda mihi fatis est Domi-
 ni voluntas : pronunciet tantummodo
 sententiam de sorte mea decisivam : *Si
 dixerit mihi 2. Reg. non places : præsto
 sum.* Descendam de throno , in quem ,
 ejus solius gratiâ evectum me esse , me-
 mor agnosco. Non occupabo amicos
 meos studio , quo fatigenter medendo
 vulneri meo tam luculento : Momen-
 tum illud , quod Davidem reddet infe-
 licem ; cernet eundem humilem : ecce
 libamen deo gloriosissimum. Profun-
 dant alii sanguinem Taurorum ad a-
 ram : regi sancto profiliunt lacrymæ an-
 tè deum reverentissimæ , his sceptrum ,
 his coronam , his regnum seque totum
 sacrificat Numini , immolatione divi-
 næ majestati tantò magis gloriosâ , quo
 magis nobili. Hoc uno Regis exemplo
 universa orbis superbi murmura con-
 funduntur : cui enim decorum fuerit
 in adversis coràm deo longos ciere que-
 stus , ubi coronata capita videt submissa
 religiosè ac humiliter suas coronas antè
 thronum Domini submittere. Agedùm
 creatura , quod conditio tua postulat ,
 V quod

quod creator exspectat; quod exempla monstrant, te tuaque omnia in adversis Deo creatori sacrifica.

*Servitiū
Domino.*

Præterea ut Deo soli Domino pro ejus dignitate servire discamus; intendenda est cogitatio in illud Exodi cap. 34. *Dominus Zelotes nomen ejus.* Quoniam serviendum Domino, qui assumit sibi nomen & omen Zelotypi, nec patitur æqualem, ut ulla creaturarum alia, honorem sibi soli debitum, cumulare secum participet. Quàm hoc gloriosum est homini, quod Deus supremus zelotypia humani cordis possidendi, ita accendatur, ut excluso omni creato rivali, cupiat homini unus & solus Dominari? est autem familiare huic domino, per immissam afflictionem, tanquam per affricum lydium lapidem tentare corda suorum, ubi si firmum, & in calamitoso statu fidele sibi cor reperiatur, certos se habere hujusmodi servos gloriari notatur. Ad capiendum hujus constantiæ fidelitatisque experimentum humanumque cor à creatis ad se abstrahendum perfectius; non rarò gratissimis; quas largè concesserat rebus, nos amat ex-

spoli-

spoliare, sinit vacillare fortunam, opes
decrefcere, obfufcari gloriam, lædi
honorem, amarefcere oblectamenta,
valetudinem frangi, tangi vitam ipfam.
Quando nunc in circumftantiis hu-
jusmodi ærumnōfis perftat fervus fide-
lis, Dominoque arctius, quàm fortè
ante in prosperitatibus, rebusque fe-
cundis adhærere connititur: hoc de-
mum eft fpectatæ in Dominum fide-
litis fpecimen tã illufre exhibere, quale
hujus sæculi Principibus nullum datur.
Premant hi intimos fuos; exuant eos
auctoritate, denegent fuam gratiam;
fortunas lædant, mox fentient à fe ali-
enos & diffidentes. Eft hoc folius Do-
mini Dominantium retinere fideles
officioque addictos fervos, forte etiam
miferâ aliud non videtur agere, quàm
fuos affligere & miferos reddere velle.
Hæc eft Zelotypia Domini hanc glo-
riam Deus alteri non dabit. Videamus
obiter, quomodo Deus de hac fuâ
prærogativâ, & fervorum in adverfis
constantiam gloriari, delectatus fuerit co-
ràm fatana, ad quem Jobi capite
1. Dicebat: nunquid confiderafti
V 2 ser-

servum meum Job? cui respondens sa-
 tan ait: nunquid Job frustra timet de-
 um? nonne tu vallasti eum, ac domum
 ejus, universamque substantiam ejus;
 operibus manuum ejus benedixisti, &
 possessio ejus crevit in terrâ: quid mi-
 rum, quod serviat tibi? sed extende pau-
 lulum manum tuam, & tange cuncta
 quæ possidet; & patebit, quomodo &
 quamdiu serviat tibi; tange montes &
 fumigabunt. Deus concertator ad glo-
 riam, dixit ad satan: ecce universa,
 quæ habet, in manu tua sunt. Egredius
 satan, omnia quæ Jobi erant; boves
 & oves, Camelos & asinos, agros &
 segetes, filios & filias, funditus everte-
 bat. Ast Job corruens in terram adora-
 vit dominum. Instat satan; postulans
 pellem pro pelle: mitte manum meam
 & tangam os ejus & carnem, & tunc
 videbis quod maledicat tibi, dixit er-
 gò dominus ecce in manu tua est; ve-
 runtamen animam illius serva. Ad hæc
 Job percussus ulcere pessimo, à plan-
 tâ pedis usque ad verticem: si bona,
 inquit, suscepimus de manu domini,
 mala quare non sustineamus? sic

nomen domini benedictum. triumphat
itaque dominus, & non tum patiens
Job, quàm deus ipse de reportatâ hac
victoriâ, gloriari videbatur. Euge igitur
serve bone & fidelis, satage in adver-
sis altissimo tuo Domino, reddere, quæ
debes obsequia deo gloriosa,

Porro Deo Judici litanda veniunt *Piamen*
catharmata. Peccator, qui afflictiones *Judici.*
ad expianda vitæ suæ delicta, rectis
judiciis è cælo immittas, non recipit,
iniquus existit deo suo Judici, dum
satisfactionem, quam Justitia divina, cui
animam debet levem exigit, recusare
contendit. Suppono principium cer-
tum, à toto christiano orbe recep-
tum, quamvis parum in usu colloca-
tum. Videlicet; quod omne pecca-
tum non modò secum trahat obliga-
tionem redeundi ad deum per cor
contritum, sed etiam necessitatem
interat indeclinabilem satisfaciendi
divinæ justitiæ, aut in hac aut in
alterâ vitâ opere pœnali. Patres
Concilii Tridentini sessione decimâ
quartâ declarant Propitium deum,

temporales hujus ævi calamitates, si patienter & humiliter tolerantur ab homine, vi meritum Christi acceptare, inque satisfactionem expiationemque noxarum præteritarum clementer convertere. Quanta ergo stoliditas peccatoris reuuentis se submittere judici deo in adversis? ipsimet nulla cura est expiandi admiffa delicta, nec patientia ei suppedit, ut sinat emendari se à Judice. Cupit rosas in deliciis carpere absque sensu spinarum: mel petit ab apibus sine aculeis: in hoc pessimus peccator; quòd quantum in se est, vellet & optaret scelera manere impunita. Nonne hæc sunt vota mundi? quæ pœnitentia opera spontè suscipiuntur? Vivitur in luxu & mollitie, satiantur desideria naturæ: habitamus commodè, & plerumque magnificè: epulamur delicatè: bibitur, pancraticè: luditur hilariter; noxque diesque longa dormitur, expleturque epicureum istud; ede bibe, lude. Te ipsum consulo, lector mi christiane, an non in hac tuâ tam

ex-

exiguâ delictorum expiandorum sollicitudine ; ea saltem, quæ pœnitentiæ, quam egere refugimus, & satisfactionis loco, quam nunquam reddimus, clementer immittit Deus, acceptanda suadeas ipsemet, constituasque ? utinam agnosceres felicitatem tuam peccator ! quòd Deus tam sæpè, tam graviter offensus, expiandû se præbeat temporaneo quodam piamine, & finæ te levi & brevi adversitate hic dependere pœnas ; quæ ceteroquin in alterâ vitâ, acri longaque asperitate dissolvendæ remansissent David Psalmo 98. hanc ob causam sic alloquitur Deum : *Deus tu propitius fuisti eis ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Hoc ipso, quod vindices in hac vita iniquitates, clementiam iis exhibes. S. Augustinus hunc locum explicans, ubi est, inquit clementia, si Deus vindicet ? imò verò, subjungit : *Non solum donans peccata, sed etiam vindicans propitius fuit.* Quomodo hoc ? quoniam supplicium rigidum, quod peccatoribus à morte subeundum foret commutat in pœnam hujus temporis omninò levem & brevem.

Utaris ergo clementiâ Dei iudicis tui homo peccator; da labens justitiæ, ad quam reus teneris, quamque in adversis reperis, piacularem pro peccatis tuis satisfactionem; ne reliquator mittaris in locum seculi venturi, undè nemo exhibit, donec solverit usque ad novissimum quadrantem.

*Obser-
vantiam
Patri.*

Denique Dei cœlestis Patris chara manus est in adversis exosculanda: Paterna manus est, quæ nos castigat, dum Filios amat: Paterna manus est, quæ nos humiliat in hoc seculo, ut exaltet in futuro: Paterna manus est, quæ caducis Mundi bonis nos privat, quia cœlestem hereditatem præparat. Prodigi-osa manus? quæ per ipsam infelicitatem suos addit felices: oleum premit de petriâ: de tenebris format lucem. Non est hæc dextera communibus naturæ regulis alligata; producit effectus ex causis, earum indoli repugnantes: utitur igne in Babylon, ad refrigerandos in fornace pueros: utitur luto, ad clarificandum cœco visum: utitur cruce & calamitate, ad suos electos reddendum beatos. Singularis hæc est præro-
gativa

gativa Dei; qualis erat Domini, retinere servos in adversitate fideles, talis hic est Patris exaltare Filios per ipsas ærumnas. Joseph formandus erat Fratrum suorum Dominus & Ægypti Prorex: sic paterna Dei providentia decreverat; sed quâ via ad gloriam tantam ducitur? exulat à Patria, venditur in mancipium, fallam patitur criminationem, mancipatur carceri, gravatur ferro: O cœlestem Patrem! quales hi sunt gradus ad Thronum? quis est Mundi assecla? quis Aulæ sectator? qui in hujusmodi malis, de omni sua deinceps fortunâ, non sexcenties desperâsset? Interim Joseph his gradibus thronum conscendit: Joseph est infelix, sed deo fidelis; contentus in vinculis, tranquillus in tempestatibus; dormit securè in sinu & brachiis providentiæ dei sui Patris: Nunquam Joseph invasisset tam excellenter felix; nisi prius in adversis extitisset patienter infelix. Cave fidelis anima, Patris æterni filia, cave, ne impatientiâ aliquâ tuâ excludaris è numero Filiorum dei; qui quoniam lugent, vocantur beati. Et in hac miseriarum val-

le lacrymas salutare in sinum cœlestis
sui Patris, Dei totius consolationis, spe-
que fideque pleni ac roborati effundunt.
Præclare nos exhortatur D. Apostolus
Paulus epistolâ ad Hebræos cap. 12. Filii
mi, noli negligere disciplinam Domini,
neque fatigeris, dum ab eo argueris;
quem enim diligit Dominus, castigat;
in disciplina perseverate: tanquam Filius
vobis offert se Dominus.

*Nunc itaque paucis contractum ac-
cipe argumentum.* Si Deus adversita-
tum, quibus affligimur, est Author;
tunc illas oportet humiliter patienter-
que ab ejus manu suscipere; competit
enim ipsi, ut Creatori, ut Domino, ut
judici, ut Patri, plenum & absolutum
in omnes Dominium: Jam verò Deus,
ut profiteretur ipsemet; ut sacræ pagine
contestantur, ut causarum secundarum
ordo & indigentia postulat; est calami-
tatum omnium Sator & Author: oportet
tas ergò, ab ipsius tanquam Crea-
toris, Domini, Judicis, Patris,
venerandâ manu, submissè
ac patienter excipere.

†

ARGU.

ARGUMENTUM SECUNDUM

Adversitates

sunt

Sapientiæ, Gratia, Salutis, Gloriæque

Sementes.

Quemadmodum supra formatum
argumentum primum, potenter
evincit, à nobis, nisi pluribus nomini-
bus impii velimus haberi, patienter to-
lerandas calamitates obvias, ita hoc,
quod auspicamur secundum, haud gra-
vatè in intellectu non contumaciter
protervo, id assecuturum confido; ut
quamvis abhorrens ab ærumnis quibus-
libet natura, tantoperè repugnet: eas
tamen avidâ omninò mente excipien-
das expetendasque esse, ingenuè pru-
denterque consentiat. Sic enim ra-
tiocinamur.

Propositio.

Quando Adversitates, dum vitæ
nostræ

nostræ cursui inseruntur, progernant fructus, quales unquam sperari possent ab homine præstantes, quæque nobiliores alma tellus proferre non potest: supple, in intellectu humano rara sapientiæ grana, in animæ statu, reflorescentem amantis Dei gratiam, in cœlesti patriâ, certio rem salutis aditum, in adeptâ beatitudine, illustriorem gloriæ coronam: tunc sanè eas, veluti sementes admodum pretiosas, ampliter habere acceptas, & injectis amicè brachiis complecti, comiterque stringere oportebit.

Confirmatio Propositionis.

Ipsa propositionis evidentia, erit solida consideranti probatio. Nemo enim adeò oblitus sui, salutisque prodigus censendus erit, quin sapientiam, quâ omnes abundare cupimus; divinam gratiam, quâ sibi quisque blanditur, animæ salutem, quâ beamur, & quâ coronamur cœlestem gloriam, sedulò consecrari velle credatur. Hæc verò

verò cuncta, si ex adversitatum tole-
rantia, tanquam genuino suo statu e-
nascantur; profectò non declinare cru-
cem sibi occurrentem, aptatis hisce bo-
nis locupletem ac gravidam; sed sustol-
lere eam, & gratanter complecti,
consultum putabit. Nam qui vult fi-
nem, media quoque velit necesse est.
Ast dura! inquires, & aspera nimis ist-
hæc sunt media: sunt interim certa, &
ex divino ita statuente iudicio necessa-
ria: atque ad tantum, quantum adfe-
runt quæstum & fœnus comparata, le-
via sunt, exigua, ac propemodùm nulla
videntur dicenda. De sapientia statuit
Salamon proverb. 3. Beatus homo, qui
invenit sapientiam, & qui affluit pru-
dentiâ: melior est acquisitio ejus nego-
tiatione argenti, & auri primi & puris-
simi: fructus ejus pretiosior est cunctis
opibus; & omnia quæ desiderantur,
huic non valent comparari. Longè er-
go superat sapientiæ pretium, acquisi-
tionis suæ medium, quantumcunque
durum & asperum. Si gratiam divinam
æstimes; nec cœlum nec terra; nec in-
ferorum tormenta, nec superum gau-
dia,

dia, simul appensa, vel minimum ejusdem gradum suo pondere adæquant. De salute animi, jam dudum absque æquivalente victrix manet interrogatio: quam dabit homo commutationem pro anima sua? de cœlesti gloria apertissimum prostat effatum; non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis Rom. 4. His ita constitutis, conficitur evidens propositionis sequela; nimirum adversitates, siquidem sapientiam sanctorum, divinam gratiam, animæ salutem & gloriam, incomparabilia hominis bona producant, velut semper admodum pretiosas, parato gratoque animo amplectendas esse.

Assumptio.

QUOD autem ex calamitate fructus memorati proveniant, per parvum enumerationem demonstratum ibimus.

Exornatio Assumptionis.

IMprimis Salomon proverbiorum capite

pite 12. Ex adversis ad sapientiam, per
 implicitum, quem evolvo, soritem, sic
 progreditur: qui diligit disciplinam!
 diligit scientiam, qui diligit scientiam,
 invenit sapientiam, qui invenit sapi-
 entiam, affluit prudentiâ, qui ergo di-
 liget disciplinam, hoc est, qui amittit
 correptionem, immiffam à Deo crucem
 & afflictionem, invenit sapientiam &
 affluit prudentiâ. Directè idem astruit
 c. 29. v. 15. *Virga atque correptio tribuit
 sapientiam.* & c. 14. v. 29. *qui patiens est,
 multâ gubernatur prudentia.* Scisci-
 tatur Job cap. 28. Sapientia ubi inve-
 nitur? & quis est locus intelligentiæ? ip-
 semet sibi respondet, nescit homo preti-
 um ejus: neq; *invenitur in terra suavi-
 ter viventium:* quicumq; enim prosperi-
 tate Mundi hujus distinentur, tallaci
 rerum umbrâ abrepti, vanissimisq; for-
 tunæ ideis miserè delusi, sæpius bonum
 pro malo, malum pro bono, insipientes
 amplectuntur: quanti caduca, quanti fa-
 cienda sunt æterna nec quicquâ respici-
 unt; tantò veriùs stulti, ait D. Gregorius,
 quantò majora pendent, in minimis
 lætantur. Consentit Seneca epistolâ
 95. me-

*Sapientia
 ex adver-
 sis.*

95. Melius in malis sapimus, felicitate
 corrupemur. Homo dum prosperi-
 tate utitur, cæcus est: nec se prius ip-
 sum noscit, donec tribulatio illuminet.
 Jeremias Threnorum, 3. ego vir videns
 paupertatem meam, in virgâ indigna-
 tionis ejus. Si miseriis exerceamus, con-
 tinuò dejecti, imbecilliores, quàm pu-
 tavimus, non esse advertimus ideoque
 fragilitatem istam deplorantes, quod
 veræ probatæque sapientiæ est, hu-
 miliati confugimus ad Deum. Ad-
 versitate attollitur animus rectè in
 verum, altius in Deum: elevatur su-
 pra fallacia Mundi lenocinia: illece-
 brosas, quæ sensus deliniunt, fascinati-
 ones ad fucosam fallaciarum classem
 procul ablegat. Adversitate purifican-
 tur oculi, ut videant fragilem hujus æ-
 vi figuram, vanitatum vanitatem. Ad-
 versitate exhibentur pericula, quæ in
 prosperis latebant abstrusa. Atque ita
 veram solidamque sapientiæ cognitio-
 nem & usum ingenerant adversa. Ho-
 mo in quocunque demum statu confi-
 stat, satagit esse felix: neque hunc con-
 genitum animi conatum remittit un-
 quam

quàm: ubi non reperit solatia in mundo, ea quærit in Deo. Felix illa voluntatis inductio, solâ adversitate inferitur animo: cum innatus sensuum appetitus suâ spe & cupiditate frustratur, atque homo felicitate nuper ebrius tribulationibus ex insperatò percellitur, tum resultant in corde ejus primæ veritatis oracula; Sanioraque salutis consilia prudentius capiuntur. Jam fraus dolosi mundi innotescit; damnatur impostura; nihil in illo stabile, nil serenum, sincerum nihil proclamatur. Unicè felix, qui Deo servit, asseritur: summum salutis negotium, dum cetera sinistrè fluunt, suscipitur tractandum. Jam tandem consultum creditur, jam intimè suadetur, convertere anima mea in requiem tuam; inclina in centrum tuum; conquiesce in Domino Deo tuo. Hoc demum est sapientissimum sapientiæ conclusum, de quo, *Qui non est tentatus, quid scit?* Eccl. 34.

Pauperes Aristotelici multum se vexant desceptionibus de mutuâ rerum causalitate: non velim cum iis contendere

Gratia ex adversis.

X

dere

dere, quo ad productionem esse primi; sed quo ad esse secundum, esse felix atque fortunatum, dari mutuam causalitatem, in gratiarum cruciumque concursu, facile demonstraverò causat namque divinus amor & gratia Dei in sibi dilectis, tribulationes & cruces. Ad Corinthios Epistolâ I. c. II. v. 32. *Ego quos amo arguo & castigo.* Tribulationes verò & Cruces hæ patienter exantlatæ amorē in deo, ex quo proficiscuntur, reddunt intensiorem, gratiamque in patiente plurimum adaugent, adeoque tribulatio & gratia, gratia & tribulatio sese mutuò causant & augent. Dum cernit amans Pater obedienter submissum in correptione suâ filium; mox cessat è flagris, mitigatur animus, colliquescit pectus, tangitur amoribus, amatque dilectum bis tantò, quàm ante teneriùs sic etiam Deus celestis Pater, dum in cruce ac tribulatione quam in frugē immisit, nos humiles subditosque reperit, placatur, delectatur, amorque gratiaque accrescit. Salamon in Proverbiis c. 3. v. II. monet, disciplina domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias, cum ab eo corripieris: quem enim dili-

diligit dominus, corripit; *Et quasi pater in filio complacet sibi.* Complacentia quis non experitur, generat dilectionē, dilectio parit gratiam. Divus Chryso-
 stomus idem concludit, sed non, à complacentiā, ut modo nos verum ab ipsa tribulatione incipit argumenta convolvere; Sic ait: ubi tribulatio, ibi & consolatio, ubi consolatio, ibi & gratia est, ubi afflictio non est, ibi plerumque nec deus est: *Cum ipso sum in tribulatione.* Psalm. 90. D. Bernardus ad hæc agebat: da mihi, O Domine semper tribulationes, ut continuò tecum sis. In vita Balthazaris Alvaretz fidelis servi dei; cum ipso sortem Sanctorum subiret, magnisq; persecutionibus exagretur ei cap. 4. ab astris acclamabatur: *conquiesce, & in hoc solate, quod hoc tua pressura geratur vidente & cognoscente deo, qui etsi posset, non tamen illam removet, etiamsi plus te diligat quam tu te ipsum.* Juebatur scilicet, ut suadet Oseas cap. 10. *Seminare in justitia, In tribulatione & miseria, Et metere in ore misericordiae.* Incrementum amoris & gratiæ divinæ. Snreca cap. 2.

de provid. nobis inquit, interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excepit, si leonis incursū interritus pertulit, tantoque spectaculum est gratius, quanto id honestior fecit, ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. ecce par deo dignum vir fortis cum calamitate compositus. *Isaia cap. 18. v. 4.* Ubi gravis calamitas premebat populum; hæc dicit Dominus: *Quiescam & considerabo in loco meo sicut meridiana lux, & sicut nubes roris, in die messis.* Hoc est, perplacet mihi vestra in calamitatibus pugna, & heroica in sustinendo tolerantia; adero ad instar Solis in meridianâ luce spectator, & tempore afflictionis, velut vestro die messis, sicut nubes plena rorem, nam ego meam gratiam in patientes largiter diffundam. Experti id ipsum Sanctissimi quique servorum Dei, & inter hos celeberrima illa dei famula, Diva Theresia profitentur; benignissimum Deum vix unquam suis extraordinarium impendere favorē, nisi postquàm eos, molestiâ non vulgari insigniter affligerit, proindè afflictationes hujusmodi prævi

as, velut novæ sibi impertiendæ gratiæ præbitas notas, fœcundasque sementes suspexere. Quali suo experimento laudata prius Diva hæc subscripsit: Certissimum est perviam difficultatis ac laborum à Deo conduci eos, quos multum diligit: & quò magis eos diligit, eò etiam per graviores difficultates eos conducere. Divus Chrysostrmus lib. 1. de provid. tem amplius declarat: nullus unquam ex his inquit, qui Deo maximè chari atque acceptabiles fuerunt, sine pressuris vixit: videbis prius omnes adversitatibus adversitatibus probatos. *Ita demum divina familiaritate dignos habitos fuisse, maximamque ad illum habuisse confidentiam.* O adversitas, pretiosa sementis! quæ talem procreat familiaritatem: quæq; ad tantum Deum inseminat confidentiam, novo semper, nobiliq; amoris gratiæque partu. Si labe invidiæ Angelos posset inficere foret ista, quod homo possit pro Deo pati, Angelus non possit. Gloriæ non voluptati sed adversitati fiat venalis.

Quæ gloria medicorum est, comparatur Deus à Sanctis Patribus & ascetis frequenter medenti, qui amat ægrotan-

*Salus ex
adversis.*

X 3

tem

tem, odit ægritudinem ut liberet ægrotum, persequitur febrim : ut procuret sanitatē, miscet potionem; medicatam, sed amaram. Haud aliā curatione utitur archiater animarū Deus, qui ut à morte æterna præservet electos, inq; vitā beatā salutemq; immortalem feliciter asserat, adversitatū felleas amaritudines, partē calicis filii sui, velut præsentaneum ac valentissimum salutis pharmacum, propinandas ipsis epotandasque præscribit. S. Paulus Epist. I. ad Corint. c. I. verbum inquit, crucis, pereuntibus quidem stultitia est, iis autem, qui salvi fiunt, Dei virtus est, virtus medica, quæ exulceratam, sanat animam : virtus sementica, quæ uberat fœcundatque patientiæ atva : virtus fructuosissima, quæ salutem beatitatemq; cœlestem, ditissimam sanè messem in æternitatem invehit D. Augustinus Epist. ad Demet. certa inquit atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio dominicæ passionis, namque passionis participatio, tuta est salutis satio. Sic etiam Alypium suum. consolatur Augustinus : conjectura est, cum te Deus immensis persecutionibus corripit eum te in electorum suorū numerum destinasse
Idem

Idem omnino sensit S. Thomas de Villā novā, hæc inquit, hoc signum amoris hoc iudiciū æternæ hereditatis, si me hîc fecerit consortem sui calicis. Apostolus Paulus ad Hebr. 12. Non signa, non indicia indigitat; sed absolute pronunciat. *Flagellat Dominus omnem filium, quem recipit;* quibus verbis induxit Chryso- tomum Hom. 29. in Ep. Heb. ad hanc illationē: si flagellat omnem filium, quem recipit, ergo qui non flagellatur, sine dubio non est in numero filiorū, quin imò Apostolus ipse ad hunc eundem sensum sua dicta deducit: quis enim filius inquit quem non corripit pater? quod si extrā disciplinā estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, & non filii estis: à Domino enim corripimur, ut non cum hoc mundo iudicemur, accedit S. Ambr, serm. 12. in Ps. 110. fortassè cū persecu- tionē non patimur, tanquā condemnati habemur. D. Bernardus de inter. domo c. 46. ex his infert: melius est frangi labo- ribus ad salutē, quàm remanere incolu- mes ad damnationem. Nescio quid ipsi- met ethnici, absq; lumine fidei, & scientiā crucis Christi, mali ominis præsenferint continuò felicib⁹ Demetrius apud Senecā de prov. c. 3. ait nihil mihi videtur infelicius

co, cui nihil unquam evenit adversi.
 Seneca verò ait; miserum te judico, quia
 nunquam miser fuisti: obstupescendum
 profectò, quod Philosophus gentilis,
 solo naturæ rationalis ductu, tam pro-
 pinquè in ipsa Dei arcana penetravit,
 ut capite 3. lib. de provid. de eo, qui non
 experitur adversa, nil hæsitans edixe-
 rit: ut ex voto illi fluxerint omnia, ut
 ante votum, malè tamen de illo Diidi-
 judicaverunt: indignus visus est, à quo
 vinceretur aliquando fortuna, quæ ig-
 navissimum quemque refugit. Admi-
 randum sanè, quod iudicium Deorum
 suorum, ut existimabant, immortalium,
 adeò affine ac conforme oraculis Dei
 verè immortalis; gentiles hi adduxe-
 rint. Amabo, qualem hic unus Seneca,
 duxisset calamum, si ea ipsi, quæ om-
 nibus nobis, sacrarum literarum pagi-
 næ explicatæ patuissent? si scivisset il-
 lud: per multas tribulationes oportet
 nos intrare in regnum Dei. Si audivisset:
 regnum cælorum vim patitur, &
 violenti rapiunt illud. Si intellexisset
 epistolam 1. Petri, capite 2. Novit Do-
 minus pios de tentatione eripere; ini-
 quos

quos verò in diem iudicii reservare cruciandos. Si denique cum Apostolo illo, qui ait, ego Joannes particeps in tribulatione & patientia in Christo Jesu, ductus fuisset in insulam Patmos; vidissetque in Apocalypsi cap. 7. turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis; amictos stolis albis, & palmas in manibus eorum, stantes ante Thronum: si audivisset quæstionem moveri & resolvi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & undè venerunt? *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna.* De amplissimis tribulationum & patientiæ pratis & arvis, quæ variis crucium generibus conseminea, has felicitatis, salutis, beatitudinisque æternæ palmas reddiderunt. Si, inquam, hæc talia, cognovisset Seneca, quanto sublimiùs extulisset præclarissimum suum monitum, in præfatione libri tertii quæstionum naturalium, ubi ait: Præcipuum est, posse læto animo adversa tolerare; quidquid acciderit sic ferre, quasi tibi volueris accidere: debuisses enim velle, si scisses omnia ex decreto Dei

fieri: flere, queri, ingemere, desciffere est. Superamur, metuo, ad confusionē nostram, nos Christiani, cœlitus illustrati, hac merè naturali gentilis hominis, sed veri hominis ratiocinantis sapientiā sed quid dixi, metuo: exploratum teneo; superamur: quotus quisque enim Christianorum, licet præceptum Domini habeat, erit; qui huic gentili, iudicio suo & plenā voluntate consentiat? *Isaia c. 48.* Audiebat Propheta loquentem Dominum: *infrenabo te, ne intereas*: quotquot vos creaturæ ambiunt, tot fallaces blandiuntur Sirenes; tot cingunt idoneæ ad ruinam æternam pedicæ: sed infrenabo te; cruce & calamitate, tanquam campo, quo mihi approximes, ne intereas, constringam te. Hoc sibi quisque dictum habeat, & unā cum Propheta colloquatur Domino: Domine si sic vivitur, & in talibus vita Spiritus mei, corripies me, & vivificabis me: ecce in pace amaritudo mea amarissima: tu eripuisti animam meam, ne periret. Tandem sentiendum cum *Jobo cap. 5.* Beatus homo, qui corripitur à Domino.

Stat penes Principum favores, gratiosiores

*Gloria ex
adversis.*

tiosiores quosque suos ornare officiis ,
cumulare opibus, honoribus extollere ;
ut quis verò habeatur vir fortis, strenuus
Generosus & gloriâ armorum clarus ;
neceffe est, ut impigrè ensẽ stringat,
se suamque fortunam in discrimina vi-
tæ conjiciat; hosti se opponat; ejus impe-
tus & intultus frangat, illum ipsemet in-
vadat, laceffat, devincat; hac demum ra-
tione, & non aliâ præclari viri nomen, &
herois invicti gloriam consequetur : &
æquè publicâ omnium laude, quàm pri-
vatâ sui Principis gratiâ & æstimatione,
suo merito dignè celebrari incipiet. Sic
etiam Principum Princeps Deus, quan-
tum vis gratiosissimè suis faveat, innu-
merisque eos bonis, donis ac gratiis af-
ficere possit, ac æternùm afficiat; quod
favoris est: Attamen singularem in istâ
felicitate coronam gloriæ, uni præ alte-
ro nequit tribuere; nisi ingruentib' ten-
tationum procellis exagitato, in tribu-
lationum conflictu forti, invicto, pro-
batoque pugili; juxtâ illud S. Ambros.
de fide resurrectionis : *communis est
divinæ fructus Clementiæ, sed distin-
ctus ordo meritorum : & alibi :*
Tolle

Tolle certamina, tulisti coronas. D. Chrysofomi, *illic coronæ, ubi pœna.* Ex hoc fundamento S. Jacobus in epistola sua Catholica cap. 1. ait: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* In quæ verba S. Cyprianus sermo 3. tract. de bono patientiæ, inquit: *nec invenio quid magis sit, vel utilius ad vitam, vel majus ad gloriam, quam ut patientiam maximè, totâ observatione tueamur; est enim nobis cum Deo virtus ista communis: inde patientia incipit, inde claritas ejus & dignitas caput sumit.* Est profectò patientia in adversitate virtus nobis cum Dei Filio communis: nonne enim oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? nec antè, inquit, Tertulianus Rex gloriæ à Cœlestibus salutatus est Christus, quàm Rex Judæorum proscriptus in cruce. Christi ergò virtus Crucifixi quærenda est prius, quàm gloriosi. Similiter, quod legitur proverb. 28. v. 12. *antequam glorificetur cor hominis, humiliatur.* Solidum proindè solatium tribulatis præbet David, psal.

125. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent: euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos: manipulos æternæ salutis, confirmatæ gratiæ, immortalis gloriæ. sequamur itaque S. Pauli strenui ducis ductum, Hebr. 12. & per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contemptâ, atque in dexterâ sedis Dei sedet. Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.

Complexio.

CUM itaque, quod erat assumptum, ex adversitatibus maturescere sapientiam increscere gratiam, enasci salutem, augeri gloriam, planum stabilitumque habeamus: restat, ut quaslibet hujus ævi cruces ac calamitates, non velut solium vitiosumque purgamentum, impatienter eruncandas, sed ut probas pretiosasque admodum semen-
tes,

res, meliori quovis modo excipiendas, excolendas, æstimandasque esse, statuamus. Illis, ait Seneca lib. de consolatione ad Helviam c. 3. gravis est fortuna, quibus est repentina; facile eam sustinere potest, qui semper expectat. Præparetur ergo terra, mens nostra & anima, ne hæc afflictionum sementis, suâ indole ac virtute adeò frugifera, improvise quandoque cadat inter spinas impatientiæ, ac suffocetur: sed ut providè ac prudenter recipiatur à fundo piè subactò ac mitigato, & fructum suum centuplum, quem promittit, non præpediatur adferre.

His breviter complexum subjicio argumentum. Quando Adversitates producant fructus in homine præstantissimos; videlicet, sapientiam, Dei gratiam, animæ salutem & gloriam: tum, quoniam tantis fructibus æquiparari nil potest, velut admodum pretiosæ sementes observandæ amplectendæque veniunt: atqui adversitates, ut est enumeratione partium demonstratum, recensitos nobiles fructus, feliciter producant; ergò tranquillo paratoque animo sunt amplectendæ, Nihil

Nihil infelicius constanti felicitate: continua namque prosperitas emollic animum, virtutis studium labefaciat. In adversitate admonemur officio, compellimur ad Deum plures deliciis, blandienti fortunâ, quam adversâ perierunt, ærumnis alitur felicitas & æterna, & temporanea: dum nemo censendus est miser, qui miseriâ suâ contentus vivit. Si duplex cœlum sperare præsumptuosum est, quis hic appetat coronari rosis, si spinas timere in æternitate debeat? qui nil hic patitur, patietur ibi. Rudis ac indoctus Tyro in patientiæ Gymnasio, gravatus patitur, qui verò jam didicit pati, sine vulnere, sine sensu adversa, tela excipit: quibus commovetur ille, lætatur iste: sub quo onere alter gemit; exultat iste: tantum interest inter volentem, & nolentem pati. Pati mala, non est malum: pati à malis, etiam bonum. Pati propter bonum, adhuc melius: pati ob mala, pariter bonum est; quia sic ea expiare bonum est. Ergo pati cum Christo, undique bonum est.

ARGU.

ARGUMENTUM TERTIUM

Sementes grana, cadentia in terram, moriuntur citò, at mox rediviva fructum plurimum diuturnumque afferunt,

Evangelicâ veritate notum certumque est: nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsam solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Tertulianus his conformiter, inquit: semina non corrupta & dissoluta, fecundius surgunt. Quanto præcisè tempore, humo injecta contumulentur moritura, equidem ego agricolationis parùm gnarus non definiêro: hoc ausim asserere, & mihi hîc sufficit, quod intervallo satis exiguo, sic recondita dissolvantur. Acetariorum Semina, quibus non ineptè
acres

acres acidique adversitatum boli, comparari posse videntur, post primos mœsti tumuli soles & imbres, quàm occissimè, è nigrâ terrâ sepulchrali suâ sede, rediviva viridiaque capita, ad intuentium amœnitatem, jucundius exserunt: indies altius assurgunt, emortuaque repentè morte, meliori vitâ, flore novo, decore læto, vigere gaude-
reque cernuntur. Undè sic juvat argu-
mentari.

Propositio.

SI adversitates, sementica nostræ salutis grana, maturè emortua, tanquam leves ætatis hujus umbræ protinùs evanescent; post se verò divitem, in longa retrò secula duraturam messem, nunquàm fallaces promittant, fideles reddant & relinquunt; quis prudens erit; quin, brevitate molestiæ, quæ in illis subitur, ad felicitatis, quæ ex ipsis provenit, perennitatem comparatâ, eas laudabilis sanctique tenoris avaro animo, placidè condendas excolendasque non statuat?

Y

Pro:

Propositionis Ratio.

Quoniam brevitās cuiuscunque
 temporanei, siue levis siue gravit
 mali, longissimè exceditur, & tempo
 re, & excellentiā superventuri boni.
 Temporis enim ad æternitatem,
 nulla est comparatio: malum autem
 adversitatum, est temporis: & ea
 rum præmium æternitatis est. Aposto
 lus Petrus Epistolâ suâ secundâ cap. 3.
 Nos docet. Unum verò hoc non late
 at vos charissimi, *Quod unus die
 es apud Dominum sicut mille anni: &
 mille anni, sicut dies unus.* Quomodo
 quæ paradoxa loqueris Petro? quis cal
 culator sic numerum recenset? Petrus
 subtiliter rem exequitur; subducit cal
 culos temporis & æternitatis; ubi siue
 diem unum, siue annos mille conferas
 cum ævo idem prædit computus, id est,
 nullus: finiti enim ad infinitum nul
 la datur proportio. S. Chrysostomus
 hom. 28. in Epist. ad Hebræ. inquit
 omnia hujus vitæ sunt umbra &
 som-

somnium : illorum quæ sperantur
& expectantur , nihil est simile , nec
naturâ nec tempore. Aposto-
lus ad Rom. 4. Idipsum planum
facit : Non sunt condignæ passiones
hujus temporis ad futuram glori-
am , quæ revelabitur in nobis. No-
lim hic altum sapere , & genus quod-
dam temeritatis foret investigare
amplius ; quæ ? qualis ? quantaque ist-
hæc gloria : Ipse etiam 1. Cor. 2. occur-
rit interroganti : *Oculus non vidit ;
nec auris audivit.* Pro his ergo in-
fert **D. Chrysostomus** loco citato ; non-
ne bonum est millies conscindi , inte-
rimi , exuri , mille subire mortes ,
ut bona illa promissa assequeremur ?
*Quid sunt decies mille anni ad secula
infinita quæ non desinunt ? non quan-
tum parva gutta ad abyssum infinitam.*
Subsistit itaque solida majoris pro-
positionis sequela : nempe ; si qua-
dam exigui temporis molestiâ , moxque
perituri mali tolerantiâ , grande bonum
inque ævum duraturum lucrum , com-
parari possit , otiaandum minimè , sed

oblato tempore & quæstui serviendum, prudenterque ac sedulò ad utilitatem honestam, nundinandum esse.

Assumptio.

AT qui hujus seculi adversitates, tanquam fugaces vanitatum umbræ citò disparent, ac velut renata illi- cò semina fructum edunt, nullâ deinceps aut temporis injuria, aut fortunæ inclementiâ aut, ipsâ confectrice rerum omnium vetustate, redigendum ad interitum.

Assumptionis Probatio.

DUO hîc contraria probanda accidunt: adversitatum brevitates; & fructuum perennitas. Brevitatem imprimis nonnihil longiùs explicare pergemus.

Adversitatum brevitates.

Adversitates hujus seculi durare diutiùs non possunt, quàm ætas ejus, quem afficiunt, caduci hominis: hæc autem perbrevis cum sit, etiam illas breves esse rectè conficimus, quàm enim

enim longam quæremus ætatem? nùm
 fortè nongentos triginta annos , qui-
 bus vixit Adam, seri posteri requirimus?
 an præstolamur nongentos sexaginta
 novem annos Mathusalem? in vanum
 speramus: *Quoniam*, ut ait Psalmo 89.
 Prophetæ, *Omnes dies nostri defecerunt.*
 Proveciorem solito & pau-
 cis concessam promittit ætatem Ec-
 clesiasticus cap. 18. *Numerus die-
 rum hominum, ut multum, centum
 anni: quasi guttæ aquæ maris depu-
 tati sunt & sicut calculus arenæ sic exi-
 gui anni in die ævi.* Liberalis hic qui-
 dem est Jesus filius de Sirach, attri-
 buendo ætati hominis centum an-
 nos: ast quomodo mox hunc nu-
 merum deberimus. Hi centum an-
 ni, si homini obtingerent, quid ef-
 sent? ipsiusmet addicentis com-
 putu, sunt quasi centum guttæ re-
 spectu totius aquæ marinæ: sunt
 sicut calculus unicus, respectu in-
 numeræ maris arenæ. Sed quid gut-
 ta est ad immensum vastumque pe-
 lagus? quid calculus unicus ad are-
 narum myriades? myriadum millio-
 nes?

nes? nihil : ergo & ætas hominis, centum anni, ad dies futuri ævi, nihil. Ita David Psalmo 89. *Quoniam mille anni antè oculos tuos, tanquam dies hesternæ, quæ præterit. & custodi innotescere, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Ab hoc Prophetâ statuuntur dies annorum nostrorum, septuaginta anni : si autem in Potentatibus octoginta, & amplius eorum labor & dolor. Et quàm hi ipsi paucissimi anni citò, velut umbræ dilabantur, agnoscit Psalmo 101. & 102. Defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt, dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fenenum arui. Manè sicut herba floreat & transeat ; vesperè decidat, induret, & areseat. Hodiedùm obtinet consuetudo, ut in solennitate coronationis summi Pontificis, inflammetur in conspectu ejus evanescens in auras stupæ, cum hac significatione : sic transibit gloria tua, uti hæc transit vix momento durans flammula ; nec quicquam tui, Paulo post restabit nisi pulvis & umbra Putredini, dices

Jobi

Jobi 17. Pater meus es, mater mea, & soror mea, vermibus. Antehac etiam cum electus esset Imperator, mox interrogabatur, è quâ materiâ mortualem sibi tombam confici vellet, ad maturam ipsius commonitionem, non porrigi firma in hoc mundo sceptrâ; nec ipsum Regno diu fore superstitem. Contuendum proindè Imperium velut grave somnium, quo abrupto, dicat ad Dominum cum Jobo cap. 30. Scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi. Jam verò inhæreo verbis Jobi, Homo, cum mortuus fuerit, nudatus atque consumptus, ubi quæso est? ubi est ejus prosperitas? ubi calamitas? ubi dies & anni? sunt, quasi non fuissent, dilapsi ut umbræ, jam nihil. Verissimum est illud Psalmi 38. Univerfa vanitas omnis homo vivens. Cum itaque humana vita in se reipsâ, existat brevis; & respectu æternitatis ad quam inter est, umbra sit, ac propè nihilum censenda; consequens est, adversitatem pariter cujusque mortalis, dum modi-

Y 4

cum

cum vivit, non nisi brevem ac levem computari debere, appositè Seneca in hunc sensum epistolâ 78. ait: levis dolor est, si nihil illi opinio adjecerit: contra si exhortari te cœperis ac dicere; nihil est, aut certè exiguum est; duremus, jam desinet: levem illum, dum putas, facias, ad opinionem dolemus: tam miser est quisque, quàm credit.

*Fructus
adversita-
tum diu-
turnitas.*

nunc ad alterum assumptionis membrum, perennitatem videlicet felicitatis ac beatitudinis, quem ex ærumnis ac tribulationibus, veluti projectis hujus seculi seminibus, ut fructum ac messem, in patriam cœlestem inferemus comprobandum accedimus. Sed cur supervacuò ad probandi rationes convertar? cum unius locupletissimi certissimique testis, rerum conscii, in tertium cœlum rapti, magni Apostoli autoritate, plenissimè convincamur. I. cor. 8. *Id quod in presenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ; supra modum in sublimitate, æternæ gloriæ pondus operatur.* Vix video, quid clariùs, & quod ad rem pertineat, amplius dici vel desiderari possit.

Juvat

Juvat tamen extrema in calamitatibus expertum, hac de re audire Jobum cap. 11. *miseriæ*, inquit, *oblivisceris*, & *quasi aquarum*, quæ præterierunt, *non recordaberis*: & *quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam*: & *cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer*. Præterfluentium aquarum, ut primum præterierunt, nulla deinceps ratio, nulla retinetur cura aut cogitatio: præterfluxere. Bene quidem ac perquam optatò est; quod tam placidè diffluant *miseriæ*: sed quid postmodùm? an de hoc conquiescendum, extitisse, jam non existere, dimanasse *miseriam*: non sanè: sed quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: ad vesperam tuæ mortis, ad occasum vitæ consurget tibi ex caliginosa adversitatum nebula, quasi meridianum, id est, splendidissimum in astris jubar: & cum te consumptum adversitate, nimiâ crucis mole oppressum, corpore, animo, vitâ succubuisse putaveris; exorieris ut Lucifer, ut stella illustris matutina: & velut aurum tribulationis igne perpurgatum, immortalis obradiabis splendore.

De hoc Jobi effato eximiè commentatus est magnus Gregorius lib. 10. moral. cap. 12. Ubi hæc habet: Mala vitæ præsentis tantò duriùs animus sentit, quantò pensare bonum, quod sequitur, negligit: & quia non vult præmia considerare, quæ restant, gravia æstimat esse, quæ tolerat: & quasi infinita calamitas creditur, quæ diebus cursu labentibus, quotidie finitur: at si semel quisque ad æterna se erigat; atque in his, quæ incommutabiliter permanent, oculum cordis figat, propè nihil esse hoc conspicit, quidquid ad finem currit: præsentis vitæ adversa tolerat: sed quasi nihil esse omne, quod labitur, pensat. Princeps Apostolorum, D. Petrus epistolâ suâ primâ solidè permulcet calamitates nostras hoc eodem dolorum formento: in tempore, inquit, novissimo exultabitis, modicum nunc contristati in variis tentationibus: ut probatio vestræ fidei, multo pretiosior auro [quod per ignem probatur] inveniatur in laudem & gloriam & honorem, in revelatione Jesu Christi. Ita epistolâ citatâ capite primo: & ejusdem capite

pite 4. sic instat: communicantes Christi passionibus gaudete; ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Quodnam verò illud tempus novissimum? quæ revelatio Jesu Christi? in actis Apostolorum c. 10. Petrus ipsemet declarat his verbis: dedit eum manifestum fieri, & præcepit nobis prædicare populo & testificari; quia ipse est, qui constitutus est à Deo Judex vivorum & mortuorum. Hoc nimirum tempus novissimum, hæc revelatio Jesu Christi, dies est Judicii: de quo S. Augustinus; cum venerit judicii tempus, correctionis locus non erit, sed tantum damnationis: erit tibi pœnitentia, sed infructuosa, quia fera. Tunc, quando anima desperabunda, non reperiens suis malis ullum ulterius remedium, incredibilem horrore concutietur: vos modicum nunc in variis tentationibus contristati, exultabitis: vos communicantes Christi passionibus, in hac ejus gloriæ revelatione exultantes gaudebitis. Novissimum illud tempus est, de quo sollicitè exclamat innocens Job, c. 31. Eheu! quid faciam, cum surrexerit ad Judicium

cium

cium Deus? & cum quæsierir, quid res-
 pondebo? Mi Jobe! testimonium viri
 justi ac recti habes, quid diem istum me-
 tuis? quam tu quæstionem times? forte
 dum vir fuisti magnus inter orientales;
 familia tibi multa nimis; quando lava-
 bas pedes tuos butyro; & petra funde-
 bat tibi rivus olei; quando in platea pa-
 rabant cathedram tibi, senes assurgen-
 tes stabant, quando auris audiens bea-
 tificabat te, & oculus videns testimo-
 nium reddebat tibi, cap. 29. hanc, in-
 quam, dierum prosperitatem, hos in-
 nubes annos, tenes forsitan suspectos? ho-
 rum postulatus nescies, quid responde-
 as? scio, in his consurgens diluculo of-
 ferebas holocausta, Non est satis; nec
 his acquiescit vir timens Deum; alia plu-
 ra ad plenum probumque constituen-
 dum diem postulat; exantlatas humili-
 ter cruces, superatasque insuper ærum-
 nas requirit: quas ubi non reperit, va-
 cuos annos numerat, de quibus haud
 facilis iniri & reddi possit ratio salutis.
 Ut ut sit cum his tuis, fortunatis dicam
 an infortunatis diebus: ærumanosum
 illud tempus, cujus pondus tulisti, au-
 daciùs

daciùs recolamus: non jam timebis in eo, sed gaudere, & exultare incipies. Cum quæsierit Dominus, de amissis luctuoso casu tantis gregibus, de trucidatis cruentè famulis, de oppressis mœstè liberis, de scissis dolenter vestimentis, de tonso capite, de ulcere pessimo, de sterquilinio inhabitato; de suspiriis, de rugitu, de dolore vehemènti, nunquid habes, quod respondeas? enim verò, inquit, cap. 10. *levabo caput saturatus afflictione & miseriâ: dicam, hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* cap. 6. Ducebatur Spiritu psaltis Rëgii psalmo 89. *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; annis quibus vidimus mala.* Humiliatio dierum, annorum mala, sunt excelsorum lætantiumque seculorum Semina: ut quisque sementem fecerit, ità & metet: tempore novissimo flavis patientiâ arvis, sub tectâ æternitatis, referemus messem gaudentes, exultantes, sine nube, sine fine felices, longè felicissimam.

Com-

Complexio.

QUÆ cum ita sint, ut nemo esse diffiteri potest; quisquis, prout oportet, cœlestibus æternisque bonis, studio laudando inhiandum censeat: istâ hujus temporis continuo fluxâ ærumnarum brevitatem, velut mox dissolvendo Semine; immortalis solidamque felicitatem, certam calamitatis messem, alacri mente comparandam esse, prudentissimè concludet.

Complexionis Exornatio.

QUam præclarum æges Nundinato-
rè, si uno die tribulationis coëm-
mille annos felicitatis! contra, quam de-
mens sis negotiator, si renuas vitæ mo-
mento pati cum Christo, quo æternum
ipsius gloriæ posses sociari! duplex hujus
assurgit ratio: prima, quod bona & mala
terrena, quia caduca sunt, & quodam-
modo momētanea sint contemnenda: cœ-
lestia

lestia verò bona, quia sunt sempiterna, unicè veniant quærenda. Altera ratio evincit; quantumvis terrena forent sempiterna, & cœlestia caderent in momenta; adhuc propter horum præstantiam, cœlestia terrenis, mille parasangis manerent anteferenda: longèque saniùs optabiliùsque accideret, ad unum solum diem cœlestibus interesse deliciis quàm per multa sæculorum millia, omnibus mundi gaudiis, cumulativè aspergi. Sic sentiendum cum D. Augustino lib. 3. cap. ult. de lib. arb. ubi hæc ejus verba leguntur: Tanta est jucunditas lucis æternæ, ut etiam si non liceret amplius in eâ manere, quàm unius diei morâ; propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ, pleni deliciis, & circumstantiâ temporalium bonorum, rectè meritòque contemnerentur: non enim falso ac pravo affectu dictum est. Melior est dies una in atriis tuis super millia. Si quotidie, instat venerabilis Beda, oporteret nos tormenta perferre; si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum in gloria videre possemus, nonne dignum esset

esset

esset labore præmium? quid ad hæc dicemus? si videndam solummodò Christi gloriam, tanto conducere vellet Beda; adipiscendam emerit quanto tetram. Agapito parva res est, si caput coronandum in cælo, prunis coronetur & comburatur in terra. Verùm advertote mercator, magnarie, diffidere tuis mercibus: Christus, inquis, innocens omnia pertulit; adeoque gloriam inde reportavit: ego meâ culpâ, nec immeritò patior: consonas voci latronis Luc. 23. Nos quidem justè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit. Bene habet: saltem te pati, quocunque tandem titulo, & malè affligi senties: adjunges te ergo patienti Christo, & si ità velis: etiam ut latro: tuam cum Crucifixo Crucem patienter subi & roga, meminerit tui in Regno suo; neque ambigas, ad promittet tibi, quantum visificatio, pandetque paradisum. Hoc namque ipso, quod peccatores, primum jus habes postulandi à Christo veniam, & obtinendi gratiam: quoniam, Rom. 6. cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est: vix enim

nim Rom. 5. per justo quis moritur: nam pro bono quis audeat mori? quare cum Salvatore pro te peccatore mortuum esse cognoscas; nihil non sperare, & gratiam, & salutē, & gloriam præstolari juberis. Siquidem, quod suppono, cum ferio detesteris delicta, cessant nocere commissa. Ezech. c. 33. ait Deus: Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate suâ: & c. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Et ne quid deinceps ex iis ingratum, divinis oculis obversetur: relegationem abstrusam patientur; de quâ Micheas cap. 7. Miserebitur nostri Deus, deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. D. Gregorius Papa, homil. 29. de admirando quodam benignitatis divinæ studio occultandi noxas hominum, si quarum eos pœniteat, in solatium pœnitentis, his verbis memorat: Videamus, si jam scit plangere, quod erravit: apud misericordem namque Judicem, nec ille fallax habetur, qui ad veritatem revertitur

Z

etiam

etiam postquam mentitur : quia omnipotens Deus, dum libenter nostram pœnitentiam suscipit, ipse suo iudicio hoc quod erravimus, abscondit.

Nunc itaq; age, quisquis rectè emerari, piè sanctèq; tœnerari a ves; tua tibi impietas pœnitenti non nocebit; iniquitatum tuarum, qui omnia tua peccata projicet in mare & abscondet errata, non recordabitur Deus; dum forumnundinarium est, commercari satage, venit nox mortis, quando nemo negotiari potest: nunc temporis momento præstinatum ibis æternitatem.

Strictim in formâ, sic reddo argumentum.

SI adversitates, salutis semina, citò velut umbræ evanescant ac emorian-
tur, post se verò inæstimabile, nunquam interiturum bonum relinquunt: tunc reverà ob brevitatem mali, & boni diuturnitatem, eligendæ ac diligendæ sunt: Atqui adversitates, (cùm vita hominis, cui coævæ existunt, reputanda sit brevis) citò ut umbræ evanescent & emoriuntur; post se verò æternū incompara-

parabile bonum, beatitatem immortalē relinquunt, ergò revera eligendæ diligendæque sunt.

Si quispiam usque adeò illecebris huius mundi immerſus jaceat, ut non attentis hiſce demonſtrationibus adhuc inhiet caducis ſeculi proſperitatibus: Lojolæo D. Ignatii apophtegmati reſpondeat: ſic ille te convenit. *Prudentiæ tuæ ſtatuendum relinquo, præſtetne terrenis omnibus nunc illud opponere: quid prodeſt homini? an verò poſtmodum brevi fruſtra ejulare, quid profuit?* Omnis gradus felicitatis ad quem aſpirare poteſ, fugacia ſecum trahit gaudia, ſplendidè levaris cum pyrobolo; ſed momentum exſpecta, diſrumpens crepat, in fumum abit & hunc, & hæc crepundia captare, quid prodeſt? dum deliciis mundi frueris, te crede ſomniare diſcuſſo ſomno nihil inventurus in manu: & quid hoc ſomniū? quamdiu prodeſt? in occaſu dices, *Quid profuit?* ejulabis obfuit. Nihil prodeſſe credas, niſi quod æternū prodeſt, quod ad beatam æternitatem comparandam conducit: ob eſt autem graviffimè, quod huic impedimentum ponit. Acquieſce Delicatule.

EPILOGUS

QUÆ pollicitus in præmio fueram
 sum singula præstare conatus. De-
 creta factorum exhibui: Crucigerorum
 agmina spectanda dedi: argumenta
 formavi. Restat, ut fidem, Prudenti-
 am, ac fortitudinem tuam, quisquis
 Lector has paginas volvis, requiram.
 Appello fidem, ut loquenti æternæ
 veritati firmiter credas. Exspecto pru-
 dentiam, ut ex principiis creditis ratio-
 nes vitæ sapienter disponas. Exigo for-
 titudinem, ut veritates agnitas corda-
 tè exequaris.

Appello Fidem.

INter octo Beatitudines, quas Chri-
 stus, æterna veritas, in monte tradidit,
 binas, ut ex nostris calamitatum tanta
 proficiscuntur, recenset: *Beati, qui
 lugent. Beati, qui persecutionem pati-
 untur.* An credimus isthæc? hic
 fides desideratur. Cum Sacrosan-
 cta fidei mysteria, quæ supra quam
 cui-

cuique credibile est, omnem sensum intellectumque humanum longissimè excedunt, impetuntur, laudabiliter commovemur: ut puta, si adversus venerabile Eucharistiæ Sacramentum quis insurgens, in præsentiam Christi disputare præsumeret, nonne ut hæreticum proclamarem eum? hic fides per velamina, sub quibus Divinitas Humanitasque latet, excitata prospicit, & contrariis quibuscunque præjudiciis non attentis, affirmat & credit adesse ibidem præsentem, *Hominem Deum*. Nunc agite fideles mentes; ille Dominus, qui dixit; *Hoc est corpus meum*: Nunquid idem ipse est, qui astringit, *Beati qui lugent*? An non verbum ipsius æquè clarè expressum, & infallibile legitur in unâ ac in alterâ veritate? & tamen; O reconditam infidelitatem! quis nostrum ritè credit, quod sint beati, qui lugent? quod beati, qui persecutionem patiuntur? si verò tandem, id te credere asseveres, cur tantoperè calamitates, ex quibus oritur luctus, & persecutiones horres? siquidem ex his manare solatia,

Z 3

bea-

beatitudinem & regnum cœlorum ad-
undum confidas. Itaque aut cruces, per-
secutiones calamitates hujus seculi am-
anter amplectere; aut te incredulū Deo-
que diffidentem fateare; non enim ver-
bo, sed opere, fides virtusque probatur.

*Copia
Lugendi.*

Aliud interea ex his Christi verbis:
Beati qui lugent. Non ingratum quid
fragilitati humanæ indulgendum esse,
unā colligitur: nempe; quod liceat in ad-
versis, uti naturæ infirmitas exigit,
moderatè lugere. Cum enim Christus
in luctu gementes pronunciet beatos;
temperatum luctum minimè dicendus
est reprehendere. Perfectionis supremæ
sectatores, arcum eousque intendunt,
ut non tantum patienter & humiliter,
sed insuper lætè cupiant adversitates
excipi. Laudandus est generosus ani-
mus; excelsum pectus commendan-
dum; non volent tamen hi, quod natu-
ræ conditio vetat, omnem in homine
sensum virtute suppressere; dolorem,
moerorem, luctum suis sedibus de-
pellere, penitusque à calamitatibus re-
move: verum concedent, quæ sacri
flaminis dona sunt, simul suaviterque
con-

consistere, in fletu solatium, in luctu
gaudium, in tribulatione pacem. Fletus
sit naturæ, solatium est gratiæ: luctus
sit hominis, gaudium est spiritus: tribu-
latio sit mundi, pax est Domini. Demus
itaque fleant oculi, lugeant animi, dole-
ant corda, ex horum pugnâ, surgit vi-
ctoria, oritur gloria, sequuntur præmia.
Naturæ repugnat, qui afflicto adimit
deplorandi facultatem: namque ita
naturâ comparatum est, ut ictum soni-
tus sequatur. D. Basilius hac de re ait:
Vidi ipse aliquando bovem ad præse-
pe lacrymantem, cum contubernalem
suum morte ereptum cerneret. Seneca
cap. 37. Præclare admodum hanc in-
rem inquit, scio inveniri quosdam du-
ræ magis, quàm fortis prudentiæ viros,
qui negant doliturum esse sapientem:
hi verò videntur nunquam in hujusmo-
di casum incidisse: satis præstiterit ra-
tio, si id unum ex dolore, quod & su-
perest, & abundat, exciderit. Fluant la-
crymæ, sed & eadem desinant: trahan-
tur ex imo pectore gemitus, sed eidem &
finiantur. S. Ambrosius & adhortatur
afflictum, & consolatur, & dolorem

exculpat, & modum dolendi designat. *Depone, suadet, mœrorem in adversitatibus, si potes: include, si non potes:* Lacrymæ, gemitus, dolor, tristitia, perfectò testes naturæ sunt, non indices diffidentia: nec fletus infidelitatis signū est, sed conditionis indicatiū: cum à Deo percussi ploramus, non arguimus ferientem sed provocamus pietatem, severitatem flectere satagimus: sint verba nostra dolore plena, non murmure. Tam hæc præclarè dicuntur, ut ipsi nihil subjungendum videatur. Utere ergò tuo naturæ jure, qui pateris, & dole: memor, cum solū miserum esse, qui in afflictione constitutus nimium contristatur, & Deo non se dignum probat: ceterà, nec quidquam in orbe dignioris admirationis esse, quàm hominē fortiter miserum, & obfirmatæ mentis ad tolerandum.

Evoco Prudentiam.

Memorabilis omnium iudicio & assensu comprobata gnoma est: *feras, non culpes, quod emendare non potes.* Ex prolatis primâ parte Decretis, & sub-

subsequente Crucigerorum serie, in-
 claruit fati nostri veritas; inevitabilis
 patiendi necessitas; à qua nullus sexus
 aut ætas, nullus status aut conditio, nul-
 lus locus aut tempus, dum in mundo
 exulamur, eximitur. Omnes mortales
 circumspice, larga ubique flendi &
 assidua materia. Democritus resuscitatu-
 rû se spondebat feminã sepultam; si ejus
 sepulcro triam inscriberentur nomina,
 quinihil adversi unquam in vita fuissent
 experti: at majus exegisse miraculum:
 quàm promississe censetur. Quid er-
 gò? in virtutem elevanda est necessitas:
 oportet oblata casu fatove, flectere ad
 consilium, ac prudenter corde humili
 ac sincero acquiescere Deo: contrari-
 um qui volet, Epicteti correptionem in-
 curret, dum ait: Ignavissimè homo ali-
 ud expetis, quàm id, quod melius est:
 an verò aliud quippiã melius est, quàm
 quod visum Deo fuerit? Seneca epist.
 107. ad eam, quam hic requirimus pru-
 dentiam, erudire nos contendit; in-
 quiens: ad hanc legem animus noster
 aptandus est, quæcunque fiunt, debu-
 isse fieri putet, nec velit objurgare na-
 turam.

Z 5

turam.

turam. Optimum est pati, quod emendare non possis; & Deum, à quo auctore cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari malus miles est, qui Imperatorem suum gemens sequitur: quare impigri & alacres capeffamus illius imperia: paratos nos ac impigros inveniat factum; hic est magnus animus, qui se Deo tradidit: ac contra ille pusillus ac degener, qui abluetur; & de ordine mundi male existimat; & emendare mavult Deum, quàm se. Cic. l. 5. epistolar. epistolâ 16. ad Titium est, ait, consolatio pervulgata quidem illa maximè quâ semper in ore atq; in animo habere debemus: *Homines nos, ut esse meminerimus, eâ legematos ut omnib⁹ telis fortunæ proposita sit vita nostra neque esse recusandum, quominus eâ, qua nati sumus, conditione vivamus: neve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus eventisque aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis novè cogitemus. Et lib. 6 epistolar. epistola secundâ ad Torquatum habet; nihil esse præcipuè cuiquâ dolendum in eo, quod accidat universis. Itaq; prudentiæ tuæ,*
mi

mi Lector, erit, fatis communibus cedere ac absequi necessitati; has illasve Cruces, quas nullâ vi aut viâ valebis excutere, suaviter subire: insipientiæ autem summæ fuerit, frustra incassumque reluctari; in varias sese partes torquere invitum succumbere; refractarium perire, malus patieris fatorum coactu, quod pati licuisset bono, ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Postulo Fortitudinem.

Tolerantia adversitatum inimica sensibus, naturæ invisa, admodum difficulter in praxi servatur. Amor proprius, quem ad tuendas partes sensibilis corporis placidè fovemus, potenter oppugnat Reginæ patientiæ Regnum: idque velut usurpatum, sævum, violentumque imperium, quod evertere fas fit abominari non cessat. Ab hoc continuo offertur pomum renascenti in posteris Adamo. Quis nisi fortis heros, contra sævientem amorem, hunc brutum hostem, arma capeffet? in temporalibus tria numerantur fortunæ dona, ut commoda vitæ: facultates opum, valetudo ac
venus-

venustas corporis, fama & existimatio hominum. His pretiosiora accedunt Spiritualia: consolationes animi, cordis tranquillitas, pia desideria, virtutum exercitia. Ubi nunc, aut aliquibus, aut his omnibus, fervorum suorum quempiam privare visum Deo fuerit; quantum insaniet, horum tenax, male sanus amor?

De singulis videamus.

*Tutatur
commoda
vita.*

ARdentiùs sanè concupiscit Mundi divitias, vitæque commoda, quàm ut ab iis cupiditatem suam possit abstrahere. Exemplum Christi in monte Calvariaë, ex trunco crucis penduli, planè spoliati ac nudi, aut cæcus, aut luscus, intuendum præterit: de quavis jacturâ lamentatur ac murmurat; abundare contendit.

*Valetudi-
nem curat*

Delicatè ac molliter excolit valetudinem religioso ejusdem; ad servitium Dei conservandæ prætextu. Interim mollitiâ diffluitus; delicias sectatur, enutrimur cupediis, promulsæ conficimur. Fingitur imbecillæ corporis temperationi necessaria, quæ minimè est,

est, escarum qualitas, & esurialibus etiam diebus, edendarum carnum prerogativa, cum scandalo Christiani Orbis. Non bibit calicem Domini delicatus hic amor, malè sapit illi mistum aceto fel, Crucifixo propinatum. Sunt isthæc, inquis (loqui ab amore doctus) molesta nimis: non ego hujusmodi tertricam vivendi rationem amplecti possum: est aliquid indulgendum genio: non hic convenit ad pedem meum cothurnus. Ne cesses loqui delicatule! dic etiam non convenire tibi nomen rationalis hominis; veri Christiani, prædestinati ad gloriam, & æternum beati. Nam, ut homo rationalis sis, oportet te vivere, non secundum genii appetitum, sed rationis ductum: ut Christianus sis, oportet te domare carnem tuam, non instar Athei voluptatibus immergi: ut prædestinatus tandemque beatus sis, oportet te Jesu Christo Crucifixo assimilari, vestigia ejus sequi, imitari exempla. Dic porrò, quod sis mancipium mundi; inimicus Dei: dic, quod non habèas Spiritum Jesu Christi, qui obsecundas carni & Sanguini: dic denique, quod

quod renuncies gloriæ paradisi, quem non nisi legitimè certantibus præparatam novimus. O Christiana immortalis anima! subiistine Mundum, ut in eoi- veres velut Brutum? esne baptizata, ut crucem Domini calcares pedib⁹, & eri- geres vexillum voluptatis? ubi tu collo- careris in cælo? inter quos? in quo beato- rum ordine? num inter Martyres, plagis vulneribusque gloriosè insignitos? an inter Confessores, pœnitentiæ operibus consumptos? Crucifixi Cruci immortu- os? non est Sanctorum ullus, quin unà cū vitiis, suam carnem generosè subege- rit; & tu delicatule ac effœminate, cru- cis desertor, inter hos nobiles, tot victo- riis inclytos Christi pugiles, quem lo- cum audebis prætere?

Si porrò Deus, ad cor cuiusdam fide- lis sui servi, à terrenis altius ad se ele- vandum, permittat eum in fama & ex- istimatione lædi: suspicionibus, calum- niis, criminationibus falsis impeti: igno- miniâ & odio, non apud improbos so- lum, sed & probos honoratosque viros, pessimè laborare: hic iam amor noster, doctor & legis peritus est: nihil in mun- do

do sibi ità commissum esse sustinet ;
 quàm existimationem nominis , & bo-
 nam famam , quocunque modo tueri :
 citat pro se Ecclesiasticum c. 41. *Curam*
habe de bono nomine. nihil pejus horret,
 quàm despectum & infamiam. Chris-
 tum exemplar nostrum , persecutiones
 ac calumnias passum ; tanquam sceles-
 tū in consortio latronum, infami mor-
 te affectum esse, subdolè silet, in scriptu-
 ris versatus Doctor. Nec Isaiam de Chri-
 sto vaticinantem recitat , c. 53. *Cum sce-*
leratis reputatus est. Non erat hic locus
 ad gustum depravati Doctoris , perditum
 amoris. Sacrum S. Ignatii de Lojola
 Apophtegma hic usurpandum venit. Si
 quando, ait, calumnias ab improbis, vel
 ignaris in te congeri observaveris : De-
 um ora, ut avertat, ne quādo mala de te
 dicantur, & vera dicantur. Talis ac tan-
 tus es, quantus intra te, & Deo testes.
 Si tumida fama, panegyri superbâ, inter
 sanctos, te collocet; malum non tollet,
 si malus es, ita vicissim si tua te non ar-
 guat conscientia, Satyras tuas ride, nihil
 de bono tollent. Confunde famam, a-
 liter, ac illa vulgat, age.

Famam
tuetur.

Quam-

*Sensibilia
animi so-
lata.*

Quamdiu cœlum blanditiis nos persequitur; parvi penditur Spiritualibus illecebris delinita calamitas: dum pace ac tranquillitate conscientiae fruimur, in medio mundi tumultu, paradiso lætamur. Verum quoniam timendum, ne amœno consolationis statu; dona Dei potius, quàm Deum ipsum, præposterè discamus amare: consultò nonnunquam solatium omne sensibile negatur: atque intellectum hebetudo; voluntatem ariditas; desolatam animam tædium invadit: prædominantur scrupuli, timor gehennæ, damnationis metus invalescit. Vivere supplicium est, orare tormentum, sacramentorum usus, anxietatis mentis cruciatus. Quid in his sensu ductus amor noster? plangit & queritur apud Dominum: psalmo 29. *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Languent preces; torpet cultus divinus, cessant virtutum actus; à Creaturis inania quaruntur solamina. Non percipitur vox Salvatoris desolati, in nostrum salutare exemplum, è ligno crucis exclamans, Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me!

Quis

Quis nunc contrà hunc, tam arctè sensibus & naturæ confœderatum hostem, æmulum spiritui amorem, stabit in armis? fortitudinem masculam, non vulgarem poscø. Ratio, inquires, & anima, brutis corporis sensuumque motibus, opponenda erit. Anima & ratio, inquis? fateor communis hic sensus est: ast anceps hæreo, cùm S. Ambrosium hac de re differentem audio. Numquàm, ait, anima nostra de sensibus judicat, nisi quando se ab ipsis sensibus & corpore separavit. Perspectum habebat Ambrosius, penes animam corpori unitam residere impedimenta domestica, quibus iudicia ipsius, ceteroquin sana, conjunctionis suavitate, velut quodam fascino blandè corrumpantur. Etenim non videt unquam suum corpus, nisi vivum, à semetipsâ animatum & amatum, floridum, venustum: & quoniam immersa sensibus est, suo lumine puro liberoque potiri non potest, adeoque expectandum meritò jus & æquum, contrà consociati sibi corporis amici favorem, nequaquam reddet.

*Fingitur
anima
corpore
ris soluta.*

Itaque fingamus redducem ab infe-

Aa

ris soluta.

*Anima
serfos de
suo olim
corpore.*

ris animam, corpore solutam, quæ tantoperè adamati olim consortis sui reliquias inspectura assistat sepulcro. Ad primum intitum corruptæ carnes malsæ, funesta exclamat: Hoc cine illud idolum est, cui pretiosum peregrinationis meæ tempus, tam superstitiose, in vanum immolari? Hoc cine periturum corpus, ista esca vermium, heu dolor! prô pudor! à me quotidianum tulit sacrificium? eratne putidum hoc lutum, objectum dignum, quod deperirem, ut perirem anima? ubi nunc molles corporis jam rigidi sensus? qui me à salutari ad veritatum tolerantiam, & immortalis patientiæ bono, perditè abstraxerunt? Caput intueor, in cuius sede, arrogantis fastu intumescens, perversa cudebam consilia; cogitationes pessimas enutriebam: jam horridam esse video vacuumque Calvariam, nisi quod nati ibidem ex cerebro bufones adhuc dum resideant oculos quæro, quibus tot jucunda, utinam licita, præbui spectacula: at non nisi terrificam reperio, implexa serpentibus concava spelæa. Os, labia, genas, eorumque purpurissum peto: sed nihil

nihil horum : soli ex bisuleis mandibulis rancidi dentes minanter extant. Irane illud os, ad cuius sedandam procacitatem tot fixa sunt suavia; ad cuius gulosum guttur edulcandum sacramentæ jejunii leges toties violatæ, ad cuius votum, omnis abstinentiæ piacularis usus procul proscriptus fuit; illud, inquam, os obmutuit? computruit? vermibus interit? Corpus reliquum contemplor: cetera membra, quæ semper, studiosè fovi, reviso. Ast adverto, pars putredo, pars vermis est, pars pulvis, pars nihil. O me miseram animam! estne hoc meum corpus? mea arx? mea sedes? meum palatium? objectum malefanæ dilectionis meæ? ruina salutis? causa damnationis? ergone pro hac calvariâ, pro his bufonibus, pro his vermibus ac serpentibus, pro hac putredine ac sanie, pro pulvere, pro nihilo, damnavi me? debebamne amore hujus mei, tam citò, tam miserè perituri corporis, Deum negligere? Creatorem meum offendere? memetipsam pessumdare? reddatur mihi corpus meum, ego reddam resuscitata membra pœnitentiæ

sanctæ patientiæ instrumenta remittar
 in corpus meum in cor illud; quo mun-
 di vanitatem amavi, ad cœlestia illud
 dirigam: virtutum exercitia, contri-
 tionis actus, calamitatum tolerantiam,
 crucis amorem, profunda illud doctrix
 edocebo: permittar resumere oculos
 meos, non nisi fundendis ex pœnitenti-
 ne Lacrymis eos assuefaciam, piaque
 crudelitate excæcabo. Dentur manus,
 erigantur pedes: nec tangent ista, nisi
 durum in ærumnis laborem: nec nisi ad
 crucem & subeundas humiliter adver-
 sitates, hi gressum movebant, sed heu!
 frustra ad hæc suspiro: inanibus can-
 gor desideriis: sera sunt, perii, venit
 mihi hora, quâ nemo amplius potest
 operari; perii. Non intelligebam, dum
 tempus erat, quæ ad salutem erant mihi;
 perii. Non sapiebam quæ Dei erant, pe-
 rii. Non prævidi quæ novissima sunt,
 perii. Heu! infelix anima! Dei insigni-
 ta imagine, Christi redempta sanguine,
 deputata cum Angelis, capax beatitu-
 dinis, heres cœli, filia Dei, ah nimium
 infelix anima, perii, æternum perii.
 Amice lector, quem tibi sensum im-
 pri-

primunt hæc miserabilis animæ tristia, sed nimis fera lamenta: videor mihi audire ipsam adhucdum in habitu, luctuosè inclamantem: memor esto iudicii mei, sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie, aut cras. In statu æternitatis, in quo nunc versor ego, etiam tu versaberis brevi: illâ horâ, quâ mundum deseres compariturus antè thronum Iudicis Dei, mecum senties; dolebis mœstissimè de offensâ Dei: pœnitebit te acerrimè neglectæ, dum salus comparari poterat pœnitentiæ. Ob rejectam impatienter crucem, non exhaustum passionis calicem, quem tibi præbuerat patiens Dominus, mirè miserèque torqueberis. Vinculum istud charitatis, quo carni, sanguini, & mundo, quibus jam vale dicendum, perditè constrictus adhæristi, execraberis, voles omnia emendata, sed serius. Nunc, nunc tempus est capiendi consilia, quæ capta, in mortis articulo fuisse velles.

Conjiciamus ergo oculos & mentem in objecta deliciarum, nostrorum, in corporis delicatos sensus & motus, in

*Fortitudo
sumenda
à sepulcro.*

Aa 3

animi

animi elatos spiritus , in omnia blandi-
 menta naturæ ; sed defixo per trans-
 versam mortualem tumbam obtutu ,
 perspiciemus omnia esse fucata , falla-
 cia, vana, moxque miserrimeque interi-
 tura. Induemur inde armaturâ forti-
 um, & insolentem nostrum intestinum
 hostem, carni sanguinique illigatum,
 amorem proprium, intrepidè oppugna-
 re, generosè prostrernere, profligare ac
 vincere attentabimus. Et horum qui-
 dem armorum ducem, sequemur di-
 vum Gregorium Magnum, qui ait: Nil
 fit, quod ad domandum carneum amo-
 rem applicari valet; quàm ut unusquis-
 que putet, quod nunc diligit, quale esset,
 si mors pulsaret. Nihil enim ad validissi-
 mi hujus inimici frangendos impetus
 existimat esse potentius, quàm serio
 præmeditari, ad qualem, quam la-
 mentabilem horridumque statum, sit
 tantem in sepulchro, à putredine &
 vermibus redigenda, inanimata caro.
 Hæc à fatali humani corporis corrupti-
 one, contra voluptuosum noxium
 amorem, desumpta animi fortitudo,
 extremum roboris incrementum ca-
 piet,

piet, si porrò patientem in agoniâ
 Dominum, virum dolorum exemplar
 omninò imitandum, sibi dignè re-
 præsentaverit. Ponderemus suo mo-
 mento, quod serviamus Domino,
 in Crucem mortuo, quod Crux, &
 omnis calamitas & afflictio, in pati-
 entis Dei sanctitudine sint consecratæ,
 adeoque obvenire debeant acceptæ
 atque venerandæ. Ad hoc triste & in-
 auditum spectaculum Crucifixi Dei,
 conticescere obligabitur natura. Prò
 quàm indecorum stupidumque erit
 portentum ! reperiri mortalem, qui
 in terris felicior esse contendat, quàm
 fuerit Deus, quem adorat. Faceffat
 ergò tandem malefanus carneus amor,
 & cum illo inanis mundi vanitas :
 unâ cum Salvatore, subeunda Crux
 est omni salvando. Seu dulce,
 seu amarum sit æquor, in portum
 nos si deferat, transfretandum
 est.

*Incræ-
 mentum
 Fortitudi-
 nis pati-
 ens Chri-
 stus.*

Exeat emundo, qui calamitates fugit:
 quam diu vivit eas patientiâ dulcora-
 re potest, vitare non potest mala

levare, non tollere valebit. Habita-
 tantisper tecum, benevole Lector,
 & ini rationes conscientiae, si absque
 palpò fateri velis, quantarum quotidi-
 anis erroribus pœnarum te reum ages?
 solvenda sunt hæc reatus debita; nun-
 quid beneficium agnoscis, hic eâ poti-
 us, quam post purgantibus ignibus ex-
 piare? esto Angelus, & impeccabilis
 fores, optandæ tibi cruces restant, si
 credas æternæ veritati, *Leve tribulati-
 onis æternæ gloriæ pondus, operabitur
 in nobis.*

Manet itaque

P A T I

Inevitabile

H O M I N I :

Fatum

Manetque Patientiæ finis,
 Interminata Salus.

Epi-

Epiphonéma

ex

Thoma de Kempis, de Imitatione Christi, perillustri in toto terrarum Orbe Ascetâ.

CAPUT XI.

Libri Secundi

De paucitate amatorum Crucis Jesu.

1. **H**Abet JESUS nunc multos amatores regni sui cœlestis, sed paucos bajulatores suæ crucis.

Multos habet desideratores consolationis, sed paucos tribulationis.

Plures invenit socios mensæ, sed paucos abstinentiæ.

Omnes cupiunt cum eo gaudere, pauci volunt pro eo aliquid sustinere.

Multi Jesum sequuntur usque ad fractionem panis; sed pauci usque ad bibendum calicem passionis.

Multi miracula ejus venerantur, pauci ignominiam crucis sequuntur.

Multi Jesum diligunt, quamdiu ad-versa non contingunt. Aa 5 Mul-

Multi illum laudant & benedicunt, quamdiu consolationes aliquas ab ipso percipiunt.

Si autem Jesus se absconderit, & modicum eos reliquerit, aut in quæmoniam, vel in dejectionem nimiam cadunt.

Qui autem JESUM propter JESUM & non propter suam propriam aliquam consolationem diligunt, ipsum in omni tribulatione & angustia cordis, sicut in summa consolatione benedicunt.

Etsi numquam eis consolationem dare vellent, ipsum tamen semper laudarent, & semper gratias agere vellent.

3. O quantum potest amor Jesu purus nullo proprio commodo, vel amore permixtus!

Nonne omnes mercenarii sunt dicendi, qui consolationes semper querunt.

Nonne amatores sui magis, quam Christi probantur, qui sua commoda & lucra semper meditantur?

Ubi

Ubi invenietur talis, qui velit De
servire gratis?

4. Rarò invenitur tam spiritualis al-
quis, qui omnibus sit nudatus.

Nam verum pauperem Spiritu, &
ab omni creatura nudum, quis inve-
niet? Procul de ultimis finibus pretium
ejus.

Si dederit homo omnem substantiam
suam adhuc nihil est.

Et si fecerit pœnitentiam magnam,
adhuc exiguum est.

Et si apprehenderit omnem scienti-
am, adhuc longe est.

Et si habuerit virtutem magnam, &
devotionem nimis ardentem, adhuc
multum sibi deest: scilicet unum, quod
sibi summè necessarium est.

Quid illud? ut omnibus relictis se re-
linquant, & à se totaliter exeat, nihil-
que de privato amore retineat.

Cumque omnia fecerit, quæ facien-
da noverit, nil se fecisse sentiat.

5. Non grande ponderet, quod gran-
de æstimari possit: sed in veritate ser-
vum inutilem se pronuntiet, sicut Ve-
ritas ait: *Cum feceritis omnia, quæ præ-*
cepta

cepta sunt vobis, dicite Servi inutiles sumus.

Tunc verè pauper, & nudus spiritu esse poterit, & cum Propheta dicere;
Quia unicus & pauper sum ego.

Nemo tamen isto ditior, nemo potentior, nemo liberior; qui se & omnia relinquere scit, & ad infimum se ponere.

Caput XII.

De regia via sanctæ Crucis.

DUrus multis videtur hic sermo: *Abnega te ipsum, tolle Crucem tuam, & sequere Jesum.*

Sed multò durius erit, audire illud extremum verbum: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.*

Qui enim libenter audiunt, & sequuntur verbum crucis; tunc non timebunt ab auditione æternæ damnationis,

Hoc signum Crucis erit in Cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit.

Tunc omnes servi Crucis, qui se Crucifixo conformaverunt in vita, accedent

cedent ad Christum iudicem cum magna fiducia.

2. Quid igitur times tollere crucem, per quam itur ad regnum?

In cruce salus, in cruce vita, in cruce protectio ab hostibus.

In cruce confusio supernæ suavitatis, in cruce robur mentis; in cruce gaudium Spiritus.

In cruce summa virtutis, in cruce perfectio sanctitatis.

Non est salus animæ, nec spes æternæ

Tolle ergo crucem tuam, & sequere Jesum, & ibis in viam æternam.

Præcessit ille bajulans sibi crucem & mortuus est pro te in cruce: ut & tu tuam portes crucem, & mori affectes in cruce.

Quia si commortuus fueris, etiam cum illo pariter vives. Et si socius fueris pœnæ, eris & gloriæ.

3. Ecce in cruce totum constat, & in moriendo totum jacet: & non est alia vita ad vitam, & ad veram internam pacem, nisi via sanctæ crucis, & quotidianæ mortificationis.

Amē

Ambula ubi vis , quare quodcumque volueris : & non inuenies altiorem viam infra , nisi viam sanctæ crucis.

Dispone & ordina omnia secundum tuum velle & videre : & non inuenies , nisi semper aliquid pati debere , aut spontè aut invitè ; & ita crucem semper inuenies.

Aut enim in corpore dolorem senties , aut in anima Spiritus tribulationem sustinebis.

4. Interdum à Deo relinquêris , interdum à proximo exercitaberis : & quod amplius est , sæpè tibi met ipsi grauis eris.

Nec tamen aliquo remedio , vel solatio liberari seu alleviari poteris ? sed donec Deus voluerit , oportet ut sustineas.

Vult enim Deus , ut tribulationem sine consolatione pati discas , & ut illi totaliter te subicias , & humilior ex tribulatione fias.

Nemo ita cordialiter sentit passionem Christi , sicut is , cui contigerit similia pati.

Crux

Cruce ergo semper parata est, & ubique te expectat.

Non potes effugere, ubicunque concurreris; quia ubicunque veneris, te ipsum invenies.

Converte te supra, converte te infra: converte te extra, converte te intra: & in his omnibus invenies crucem:

Et necesse est te ubique tenere patientiam, si internam vis habere pacem, & perpetuam promereri coronam.

5. Si libenter crucem portas, portabit te, & ducet & desideratum finem, ubi scilicet finis patiendi erit, quamvis hic non erit.

Si invitè portas, onus tibi facis, & te ipsum magis gravas: & tamen oportet ut sustineas.

Si abjicis unam crucem, aliam procul dubio invenies, & forsitan gravio-rem.

6. Credis tu evadere, quod nullus mortalium potuit præterire? quit sanctorum in mundo sine cruce & tribulatione fuit?

Nec

Nec enim Jesus Christus, Dominus noster, una hora sine dolore passionis fuit, quamdiu vixit, *Oportebat* [ait] *Christum pati, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam.*

Et quomodo tu aliam viam quæris, quàm hanc regiam viam, quæ est via sanctæ crucis;

7. Tota vita Christi, crux fuit & martyrium; & tu quæris requiem & gaudium;

Erras, erras, si aliud quæris, quàm pati tribulationes, quia tota ista vita mortalis, plena est miseriis, & circumsignata crucibus.

Et quanto altius quis in Spiritu profecerit, tantò graviores sæpe cruces inveniet, quia exilii sui pœna, magis ex amore crescit.

8. Sed tamen, iste sic multipliciter afflictus, non est sine levamine consolationis: quia fructum maximum sibi sentit accrescere ex sufferentia suæ crucis.

Nam dum sponte se illi subjicit, omne onus tribulationis in fiduciam divinæ

divinæ consolationis convertitur.

Et quantò magis per afflictionem atteritur, tantò spiritus amplius per internam gratiam roboratur.

4. Et nonnunquam in tantum confortatur ex affectu tribulationis & adversitatis ob amorè conformitatis crucis Christi, ut se sine dolore & tribulatione esse non vellet: quoniam tantò se acceptiorem Deo credit, quantò plura & graviora pro eo perferre poterit.

Non est istud hominis virtus, sed gratia Christi, quæ tanta potest & agit in carne fragili; ut quod naturaliter semper abhorret & fugit, hoc fervore spiritus aggrediatur & diligat.

9. Non est secundum hominem crucem portare, crucem amare, corpus castigare & servituti subicere: honores fugere, contumelias libenter sustinere, seipsum despiciere & despici optare: adversa quæque cum damnis perpeti, & nihil prosperitati in hoc mundo desiderare.

Bb

Sed

Sed si ad te ipsum respicis : nihil huiusmodi ex te poteris.

Sed si in Domino confidis , dabitur fortitudo de cœlo , & subicientur ditioni tuæ mundus & caro.

Sed nec inimicum diabolum timebis, si fueris fide armatus, & cruce Christi signatus.

10. Pone te ergo , sicut bonus & fidelis servus Christi, ad portandam viriliter crucem Domini tui, pro te ex amore crucifixi.

Præparate ad toleranda multa adversa & varia incommoda, in hac misera vita: quia sic tecum erit, ubicumque fueris: & sic reverà invenies, ubicumque latueris.

Oportet ita esse: & non est remedium evadendi à tribulatione malorum & dolore , quàm ut te patiaris.

Calicem Domini affectanter bibe, si amicus ejus esse , & partem cum eo habere desideras.

Consolationes Deo committe: faciat ipse cum talibus, sicut sibi magis placuerit.

Tu

Tu verò, pone te ad sustinendum tribulationes, & reputa eas maximas consolationes; quia non sunt condignæ passionibus hujus temporis, ad futuram gloriam promerendam, etiam si solus omnes posses sustinere.

11. Quando ad hoc veneris, quod tribulatio tibi dulcis est, & sapit pro Christo: tunc bene tecum esse æstima, quia venisti paradysum in terra.

Quamdiu pati grave tibi est, & fugere quæris; tamdiu malè habebis, & sequetur te ubique fuga tribulationis.

12. Si ponis te, ad quod esse debes, videlicet ad patiendum & moriendum, fiet citò melius, & pacem invenies.

Etiam si raptus fueris usque ad tertium cælum cum Paulo, non es propterea securatus de nullo contrario patiendo *Ego* (inquit Jesus) *ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

Pati ergo tibi remanet, si Jesum diligere, perpetuò illi servire placet.

13. Utinam dignus esses aliquid pro nomine Jesu pati: quàm magna gloria remaneret tibi, quanta exultatio omnibus

nibus Sanctis Dei, quanta quoque ædificatio esset proximi.

Patientiam quidem omnes recommendant: sed heu! quàm paucissimi, qui pati desiderant.

Meritò deberes libenter modicum pati pro Christo, cùm multi graviora patiuntur pro mundo.

14. Scias pro certo, quia morientem te oportet ducere vitam. Et quando quisque plus sibi moritur, tantò magis Deo vivere incipit.

Nemo aptus est ad comprehendendum cælestia, nisi se submiserit ad portandum pro Christo adversa.

Nihil Deo acceptius, nihil tibi salubrius mundo isto, quàm libenter pati pro Christo.

Et si eligendum tibi esset magis optare deberes, pro Christo adversa pati, quàm multis consolationibus recreari: quia Christo similior esses, & omnibus Sanctis conformior.

Non enim stat meritum nostrum, & protectus status nostri, in multis suavitatibus & consolationibus: sed potius

in

in magnis gravitatibus & tribulationibus perferendis.

15. Si quidem aliquid melius & utilis saluti hominum, quam pati, fuisset; Christus utique verbo & exemplo ostendisset.

Nam & sequentes se discipulos, omnesque eum sequi cupientes, manifestè ad crucem portandam hortatur, dicens: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.*

Omnibus ergo perlectis & scrutatis, sit hæc conclusio finalis: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

F I N I S

B 3

